FUNDAMENTA CHRONOLOGIAE TERTULLIANEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
THEOLOGICO-HISTORICA,
QUAM
ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI
JUDICIO
AD LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORES
IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
RITE OBTINENDOS
SUBMISIT

GERARDUS UHLHORN
OSNABRUGENSIS
E COLLEGIO REPETENTIUM, SOCIETATIS HIST. THEOL. LIPS. SODALIS ORDINARIUS.

GOTTINGAE, MDCCCLII.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

Latin-Satire

PRAEFATIO.

Quum jam antea in historia Q. Septimii Florentis Tertulliani perquirenda aliquam operam collocassem, oblatus est mihi praestantissima Hesselbergii de vita et scriptis illius dissertatio, et quamvis admiratus essem diligentiam et subtilitatem, qua ad vitam Tertulliani describendam usus esset, tamen fugere me non poterat, eum in nonnullis rebus iisque haud sane minimi momenti errasse. Jam vero quum pro Licentiati honoribus obtinendis specimen aliquod studiorum edendum mihi esset, inde rei, quae maximi momenti in chronologia vitae Tertulliani est, accuratius tractandi consilium cepi. Annum scilicet, quo ad Montani doctrinas delapsus sit Tertullianus, definire quam fieri posset accuratissime apud animum meum constitui; quem annum qui recte constituerit, is universae chronologiae Tertullianeae fundamenta jecisse putandus erit.

Neque ignorabamus praeclarum illum scriptorem ecclesiasticum paullatim ad doctrinas Montani, ad quas inde ab initio inclinabat, accessisse, attamen certum inveniri posse temporis momentum persuasum nobis erat, quo primum de spiritu sancto doctrinam Montanistarum propriam accepisset. Hoc temporis momentum constituere ausi sumus, quum fines

huic libello academico praescriptos migraturi fuissemus, si totam vitam et progressionem Tertulliani Montanizantis ad apertum Montanismum describere voluissemus. Tali descriptioni, in quam Hesselbergius incumbebat, fundamentum firmum argumentis externis perlustratis et chronologia constituta substruere in animo habebamus, et fortasse DEO adjuvante posteriore tempore accuratius totam Tertulliani vitam describere conabimur.

Restat, ut rogemus viros doctos, ut hoc nostrum opusculum qualecunque sit benigno animo excipiant et, si hic illic erraverimus, rei difficultates recte existiment.

Scribebam Gottingae, d. XII. Febr. MDCCCLII.

Gerardus Uhlhorn.

CONSPECTUS.

Introductio . . . . pag. 1
Cap. I. De actis passionis SS. Perpetuae et Felicitatis 5
Cap. II. De temporum Severianorum chronologia . . 20
Cap. III. De anno, quo Tertullianus conscripserit librum de corona, et de vera Apologetici aetate . 34
Cap. IV. De chronologia librorum post librum de corona scriptorum 46
Conclusio 61

INTRODUCTIO.

De Q. Septimii Florentis Tertulliani vita et rebus gestis quum perpauca tantum et incerta ab aliis scriptoribus nobis tradita sint, scripta ipsius praestantissimi illius auctoris, qui primus lingua latina in describendis rebus ecclesiasticis usus est, unicum fere, ex quo haurire nobis vitam eius disquisituris licet, praebent fontem. Quae tamen scripta ad vitam et res gestas Tertulliani describendas nihil conferre possunt, nisi tempus, quo scripta sint, antea investigaverimus. Quam ob rem inde ab eo tempore, quo Beatus Rhenanus primus omnia Tertulliani scripta edidit, permulti iique doctissimi viri in chronologia singulorum scriptorum definienda operam collocarunt. *Centuriatores* quidem hac in re omnino non versati Tertulliani scripta nulla aetatis mentione facta enumerant, sed jam Jac. *Pamelius* editioni suae, quae a. 1579 in publicum prodiit, vitam Tertulliani praemisit, in qua omnia Tertulliani scripta certis annis adscribuntur. Postea *Baronius* in Annalibus non omnium quidem sed permultorum Tertulliani librorum tempus definire conatus est, et *Allicius*[1] in praestantissima de vita Tertulliani dissertatione certam librorum seriem constituit, quam *Cavius* nonnullis rebus mutatis in Historiam litterariam recepit. Neque, ut de aliis taceam, *Tillemontius* librorum ordinem summa cum dili-

1) Dissertatio de Tertulliani vita et scriptis. s. l. et a. (Rothomagi 1674).

gentia explicare neglexit [1]. Sed quamquam permulta ab illis viris vera allata esse non nego, multa tamen solum arbitrium secuti definivisse et constituisse videntur, quippe qui argumenta externa nec omnia nec accurate et exquisite perpenderint, argumenta autem interna, quae e mutata in diem sententia et doctrina Tertulliani petuntur, omnino fere neglexerint. Quam ob rem nemini mirum potest esse, quo accuratius ea, quae ad aetatem librorum definiendam valent, investigata sint, eo magis librorum, quorum aetas constet, numerum deminutum esse. Qua de re duo viri docti prae ceteris meriti sunt, *Moshemium* dico et *Noesseltum*, quorum ille unius tantum libri, sed omnium fere praestantissimi, Apologetici aetatem definivit [2], hic omnia, quae ad librorum aetatem aliquomodo pertinent, maxima cum diligentia collegit [3]. Noesseltus certam omnium librorum seriem constitui non posse ratus omnia Tertulliani scripta in tres divisit classes. Prima classis ea continet scripta, de quorum aetate et doctrina constat, altera ea, quae quidem certas non habent aetatis notas sed tamen Montanismi convinci possunt vel ab illa suspicione liberari, tertia denique libros „adv. Judaeos“ et „de poenitentia,“ quorum et aetas et indoles doctrinae maximis tenebris oppressa iacet. *Neander* in libro suo „Antignosticus“ nullam omnino certam scriptorum seriem constitui posse ratus in distinctione librorum ante Montanismum et in Montanismo scriptorum acquievit, *Moehlerus* autem, qui librorum notas nec ad aetatem nec ad doctrinam certo statuendam sufficere putavit, vel hanc distinctionem omisit et scripta Tertulliani secundum argumentum solum disposuit [4].

1) Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique Ed. II. A Paris 1701. Tome III. p. 196 sq. cf. Notes sur Tertullien ibid. 654 sq.

2) De aetate Apologetici Tertulliani dissertatio chronologico-historica. cf. Jo. Sam. Moshemii Dissertationum ad Hist. Eccl. pertinent. Vol. I p. 1.

3) De vera aetate ac doctrina scriptorum Q. S. Flor. Tertulliani. cf. J. A. Noesselti Opusculorum ad Hist. Eccl. Fasc. III. p. II

4) Patrologie herausg. von Reithmayr p. 705.

Quae Tertulliani scripta praebent, indicia historica et externas aetatis notas, ea tam accurate et copiose a Noesselto tractata sunt, ut eum ullam rem gravioris momenti neglexisse vix crediderim, quamquam non semper indicia recte eruisse et tempus rerum gestarum recte statuisse mihi videtur. Externa illa argumenta re vera ad ordinem librorum constituendum non semper sufficiunt, internorum autem argumentorum Noesseltus nullam vel minorem habuit rationem; id unum quaerere solitus, utrum liber aliquis Montanismi erroribus sit affectus necne, qua re evenit, ut et plurium librorum aetatem omnino definire non posset et nonnulla, quae de aliis statuit, minus certa essent. Ad certam aetatem definiendam diligentius rationem argumentorum internorum habere oportuit. Non solum quaerendum erat, utrum ante susceptas Montani partes scripta essent, an postea, sed etiam quo modo Tertullianus catholicus sed Montanizans ad Montani doctrinas et Tertullianus Montanista ad majorem progressus esset rigorem severitatemque, et quisnam esset cujusque libri hoc in progressu locus. Ut breviter dicam, Tertulliani vita et progressio ex ipsis eius libris persequenda et quodque scriptum suo loco inserendum est.

Cui rei maximam operam dedit *Hesselbergius* 1), iuvenis praematura morte ecclesiae et theologiae ereptus, cuius tanta fuit diligentia tantaque judicii in rebus inquirendis subtilitas, ut nihil jam hac in re restare videri possit. Attamen quamvis de internis argumentis accurate disputaverit, tamen argumenta externa accuratius denuo inquirere neglexit, (quamquam Noesselti disquisitione haudquaqum acquieverat,) qua re in nonnullos incidisse nobis videtur errores. Adde quod opus tam magnum et arduum est, ut humani generis imbecillitas excusanda sit, si primo impetu ei non omnino satisfiat.

Quam ob rem haud superfluum nobis visum est rem

---

1) Tertullians Lehre, entwickelt aus seinen Schriften. Erster Grundlegender Theil. Einleitung. Leben und Schriften. Dorpat 1848.

demum aggredi idque ita, ut internis argumentis minime neglectis externa praecipue denuo examinaremus, quae inde a Noesselto nemo accuratius inquisivit. Jam vero ne fines huius libelli academici migraremus, unam tantum quaestionem et difficillimam et gravissimam nobis elegimus tractandam, *quo anno Tertullianus ad Montanismum delapsus sit.* Qua de re viri docti in contrarias discedunt partes. Ut de aliis taceam, Pamelius a. 206 Tertullianum delapsum esse existimavit, Allicius et Cavius a. 199, Noesseltus a. 199 aut 200. Moehlerus omnino incertum annum defectionis esse contendit. Atque Hesselbergius hac ipsa in re, praecipue in iudicando libro, qui inscribitur *de corona militis,* Noesselti opinionem secutus est, quam nos quidem falsam iudicamus. Ab hoc autem anno recte constituto tota fere librorum Tertulliani chronologia pendet. Itaque res et incertissima et gravissima accuratissima digna esse videtur inquisitione.

CAP. I. DE ACTIS PASSIONIS SS. PERPETUAE ET FELICITATIS.

Priusquam ipsa Septimii Tertulliani scripta inquiramus, videamus necesse est, sitne fortasse in aliis libris certa quaedam Tertulliani ad Montanismum delapsus mentio. Nam si quid ab aliis scriptoribus hac de re cognoverimus et scriptis ipsis postea pervestigatis viderimus, quae hinc et illinc eruerimus optime inter se convenire, maximam inde probabilitatem in sententiam nostram redundare apparet. Sed hac de re unum Hieronymum testem habemus, qui de Tertulliano in catalogo scriptorum ecclesiasticorum: „Hic quum usque ad mediam aetatem presbyter permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad Montani dogmata delapsus, in multis libris novae Prophetiae meminit.“ Quae tamen verba, quum nec de tempore, quo Tertullianus natus sit, nec de anno mortis, neque de tempore, quo mediam attigerit aetatem, aliquid constet, nihil prosunt. Jam vero quamquam nihil de ipso Tertulliano tradatur, exstant tamen documenta, quae statum et conditionem Montanistarum in ecclesia Africana vel in ipsa ecclesia Carthaginiensi nobis tradunt, Acta dico egregia illa Passionis SS. Perpetuae et Felicitatis [1]), de quibus primum erit disputandum.

1) Primum edidit acta illa Lucas Holstenius, Vaticanae Bibliothecae praefectus, vid. Passio SS. Perpetuae et Felicitatis cum notis Lucae Holstenii (post mortem viri illius doctissimi ed. Henr. Valesius), Parisiis 1664.; deinde acta illa adjectis etiam notis Petri Possinii Soc. Jesu in collectionem suam sincerorum actorum marty-

Atque haec quidem acta genuina esse inter omnes constat; equidem non novi, qui ea in suspicionem vocaverit, nam quae *Orsius* in c. III. dissertationis apologeticae in medium produxit, in eam mentem accipi non possunt, quum vir ille eruditus ob eam solam causam moverit dubitationem, ut, si acta reapse aliquid continerent, quod catholicos martyres dedeceret, excusationem sibi pararet. Sed antequam, quae de conditione Montanistarum acta illa nobis narrent, disquiramus, primum de loco, in quo supplicium passae sunt Martyres illae, deinde vero de tempore, quo consummarunt martyrium, disputandum est; neque enim his de rebus viri docti consentiunt.

Qui primus acta Passionis in lucem protulit Lucas Holstenius Tuburbi urbe Mauretaniae eas supplicium passas esse existimavit. Cui sententiae vir doctissimus Henr. Valesius in praefatione, quam editioni postumae Actorum praemisit, contradixit. Et suo jure quidem; nam illa Holstenii, cui assentitur Sirmondus, sententia inde profecta est, quod martyres nostrae cum aliis martyribus Tuburbitanis confundebantur. Praecipuum ad illam sententiam stabiliendam argumentum ex Sermone petitur S. Augustini, XXXII. eorum, quos Sirmondus edidit, in quo Augustinus verba facit [1]) de martyribus Tuburbi passis, quos SS. Perpetuam et Felicitatem earumque socios esse putantii, qui sententiam Holstenii sequuntur. Sed ut taceam de authentia sermonis illius, quam multi addubitarunt, S. Augustini verbis SS. Perpetuam et Felicitatem signi-

rum recepit Ruinartus (Veronae 1731. p. 77). Inveniuntur etiam apud Orsium (Dissertatio Apologetica pro SS. Perpetuae, Felicitatis et sociorum martyrum orthodoxia adv. Sam. Basnagium auctore R. P. Josepho Augustino Orsi O. P. Florentiae 1728 p. 1 sq.) et Fr. Muenterum (Primordia ecclesiae Africanae. Hafniae 1829 p. 227).

1) »Sed dura est, inquis, via, quis per istam illum sequatur? Erubesce barbare, erubesce, a virtute vir diceris. Feminae secutae sunt, quarum hodie natalitia celebramus.« *Feminarum martyrum Tuburbitanarum* (Codd. Colb. Suburbitanarum) *solemnitatem celebramus.* Cf. S. August. Opp. ed. Bened. Tom. V p. 933. Sermo CCXLV. § 6.

fecerit nullo modo demonstrari potest. Imo, quum Possidio teste S. Aug. tres tantum habuerit sermones die natali SS. Perp. et Fel., quae omnes tres adhuc exstant, verisimillimum est, eum in sermone, quem supra laudavimus, de aliis feminis martyribus locutum esse, de illis scilicet, quas Kalendarium illud ecclesiae Africanae a Mabillonio editum III. Kal. Aug. celebratas esse refert [1]). Quae martyres jam pridem cum nostris martyribus confusae esse videntur. Primum hunc errorem invenimus in Martyrologio, quod S. Hieronymo adscribitur [2]), nisi forte acta illa errorum plena, quae Holstenius e codice MS. bibliothecae S. Victoris descripta genuinis actis adjecit [3]), antiquiora sunt, id quod equidem non putaverim, quum alius error illi conjunctus, SS. martyres Imperatorum Gallieni et Valeriani temporibus passas esse, posteriore demum tempore inveniatur, primum apud Petrum Galonem, quem idem Holstenius [4]) laudat. Postea vetus Martyrologium Romanum editum a P. H. Rosweido et Martyrologium Gregorii XIII. jussu editum eundem admittunt errorem [5]). E contrario Carthagini passas esse SS. Martyres ipsa acta indicant. Mentionem enim faciunt castrorum, carceris castrensis, muneris castrensis (c. 7), amphitheatri (c. 18), quae omnia dubito num Tuburbi exstiterint. Gemina erat urbs Tuburbis, major et minor, in provincia Africa proconsulari [6]), sed neque haec, cujus primus episcopus Victor a. CCCCXI inter episcopos, qui collationi Carthagini habitae aderant, nu-

1) Vid. Veter. Analecta ed. Mabillonius Paris. 1713. p. 163: »III Kal. Ag. sanctarum Tuburbitanarum et Septimiae.« Idem hoc Kalendarium exhibet *Ruinartus* (Acta mort. sinc. p. 541) nec non Münterus (Prim. eccl. Afr. p. 251).

2) edit. a Luca Dacherio in Spicilegio Parisiis 1661 Tom. IV. (p. 631) »Nonis Martii. In Mauretania, civitate Turbitanorum (*sic!*) Passio SS. Perpetuae et Felicitatis.«

3) l. c. p. 78.

4) cf. p. 68 »Petrus Galo Ord. min. opere M. S. de vitis SS. in bibl. Card. Barberini.«

5) ed. Caesar Baronius Soranus Mogunt. 1633. p. 152.

6) Plinius Nat. Hist. V, 4 unam solam coloniam Tuburbi memorat.

meratur, nec ille, cujus episcopus Sedatus interfuit concilio Carthaginiensi a Cypriano a. CCLV de Baptismo habito [1]), magna fuisse videtur, quum Plinio excepto apud nullum auctorem veterem mentio ejus fiat. Sine dubio quae proposuimus indicia, Carthaginem urbem locum Martyrii fuisse probant, id quod egregie a Victore Uticensi auctore confirmatur, qui corpora SS. Perpetuae et Felicitatis Carthagini in Basilica majore sepulta jacuisse narrat [2]).

Sed nimis jam in re tam clara commorati sumus [3]). Difficilius est de tempore martyrii aliquid certi constituere. Praetermittam eorum opinionem, qui Sanctas feminas imperatorum Valeriani et Gallieni temporibus passas esse, falsis illis actis, quae supra commemoravimus, perducti existimant. Baronius in Annalibus, et Valesius in praefatione editionis Holstenianae, a. 205 i. e. detracto biennio ad Baronii calculum cum communi exaequandum a. 203 Sillano et Geta Coss.; eodem anno Petrus Possinus [4]), quem Bollandus [5]) sequitur, Ruinartus [6]) a. 202 vel sequenti, Morcelli [7]) a. 203, Muenterus [8]) a. 202 passas esse contendunt. Sed accuratius perspicientibus nobis rationes, quas viri docti attulerunt, ad annum martyrii constituendum sufficere non videbuntur.

Nihil dicam de Baronii sententia, quum is acta genuina nondum cognoverit. Ruinartus provocat ad verba actorum „die natali Getae Caesaris", quae accuratius non explicat; neque aliam affert rationem. Accuratius tempus definiunt

1) cf. Morcelli Afr. chr. I. 332.

2) vid. Persec. Vandal. Lib. I. c. 3 edd. Ruinart. Par. 1694 p. 5.

3) Diversas sententias conciliare conatus est Morcelli (Africa christ. II. p. 58), qui existimat, Tuburbitanae eccl. adscriptas fuisse martyres, sed postea Tuburbi Carthaginem ad forum Procuratoris deductas esse ibique martyrio coronatas.

4) apud Ruinart. p. 98.

5) Acta SS. VII. Martii.

6) Acta sinc. p. 79.

7) Africa christ. II. p. 58.

8) Primordia eccl. Afric. p. 205.

rationibus etiam gravioribus allatis Petrus Possinus et ei assentientes Bollandus, Morcellus, Muenterus. Possinus primum id temporis spatium constituere conatus est, quo Geta Caesar erat. Caesar appellatus est a. 199, Augustus 204. Habemus igitur spatium annorum quatuor, intra quos martyrium factum potest esse, inde ab anno Christi 199 ad 203, nam anno 204 Geta jam Augustus erat. Ne autem libere possimus unumquemlibet ex tribus prioribus istius summae annis Sanctarum martyrio deligere, arcent nos ab accuratissimis chronologis anno Christi 202 alligata epocha persecutionis ab eo imperatore in Christianos motae, qua posteriorem SS. Perpetuae et Felicitatis fuisse passionem haec ipsarum acta demonstrant. Quam ob rem annus 203 eligendus est, quo anno consulatum gessit Caesar Geta cum Septimio Plautiano, et causa arrepta est diem natalem ejus gladiatoriis ludis et arenae spectaculis honestandi, unde ex hac ipsa Getae consulatus nota confirmatur chronologia. Qua in argumentatione vereor, ne omnia fere falsa sint. Geta nec a. 199 Caesar, nec a. 204 Augustus appellatus est, sed, id quod infra accuratius demonstrabimus, Caesar a. 198, Augustus a. 209; et ita praecipuum, quo permotus Possinus a. 203 martyrium adscribit, argumentum concidit. Praeterea maximo in errore versatur Possinus, qui Getam a. 203 consulatu functum esse credit. Septimius Geta Caesar primo consulatu functus est a. 205, deinde 207, ut Fasti demonstrant, qui consulatum a. 208 *secundum* vocant. Idem nummi docent. Affert Eckhelius [1]) nummum liberalitatem VI. Augg. significantem, in quo leguntur haec: P. SEPTIMIUS. GETA. CAES. PONTIF. COS. II. Quam liberalitatem VI. qui celebrant nummi Severi Augusti TR. P. XVI. habent, qua ne a. 208 significatur. Idem Eckhelius l. c. nummum Getae Augusti affert a. 209 excusum, in quo legitur IMP. CAES. P. SEPT. GETA. PIUS. AUG. — PONTIF. TR. P. COS. II. Quam ob rem si consulatus a. 208 secundus fuit Getae consulatus,

1) Doctr. numm. VII. p. 230.

a. 205 primo consulatu functus est, et qui a. 203 consul erat Septimius Geta, Caesar Geta filius Severi frater Caracallae esse non potuit. Est potius frater Severi, cui idem erat nomen, cujus Spartianus in vita Severi c. 8 mentionem facit.

Infirmiores etiam rationes nobis videntur, quibus permotus Muenterus a. 202 martyres passas esse existimat. „Occasionem“ inquit l. c. cap. XXIX p. 208, „dedit Natalis Getae Caesaris a. 202, quo die ante quinque annos Caesar fuerat renunciatus.“ Munus igitur illud castrense, quod occasionem dedit martyrii, ad quinquennalia Caesaris Getae celebranda institutum esse putat. Sed si res ita sese haberet, martyrium non a. 202 sed potius 203 ascribendum esset, nam hic annus quintus Caesareae dignitatis est annus. At tamen superiore Augustorum aevo Caesarum vota semper conjuncta erant cum Augustorum votis, inferiore demum aevo Caesares quoque sua ac propria habebant vota. Caesarea autem quinquennalia vota primum in nummis Constantii Chlori Caesaris inveniuntur [1]). Deinde verbis „die natali“ diem votorum, diem saecularem, significari nusquam video, immo semper anniversarius dies, quo quis natus est, intelligitur.

Peracute contra Morcelli sententiam suam a. 203 martyrio coronatas esse sanctas feminas defendit [2]). Natalem Getae pro anniversario die, quo natus est filius Severi, accipit et, ut definiat, quo anno natalis ille celebratus sit, in auxilium vocat Julium Capitolinum, qui in vita Maximinorum c. 2 Severum in Thracia natali Getae filii minoris militares ludos dedisse narrat. Id quod evenisse putat Morcelli eo anno, quo Severus pacatis Orientis regionibus itinere terrestri per Thraciam Romam rediret, i. e. a. 203. Sed primum Severus non a. 203, sed 202 Romam ex Oriente rediit, qua de re infra accuratius disputandum erit. Sed hoc errore neglecto omnia pendent ab ea quaestione, utrum Severus terrestri an maritimo itinere ex Oriente Romam redierit. Sententia a

1) cf. Eckh. Doctr. numm. VIII. 483.
2) cf. Africa Christ. II. p. 58.

Morcellio acceptam Severum per Cappadociam Thraciam Illyriam reversum esse Romam optime monuit Tillemontius 1). Testes citat Cassium Dionem et Herodianum 2). Herodianus re vera disertis verbis dicit Severum terrestri itinere rediisse, sed haud magna est ejus testimonii auctoritas. Verba Xiphilini ex Dione 3) excerpta obscuriora sunt, quam ut inde aliquid certi probent, et quae Dio narrat Nicaeae facta esse, non necessario huic tempori adscribenda sunt. Spartianus contra in vita Severi nihil de itinere terrestri dicit. E contrario autem propter breve tempus, quod in itinere ille transegit, nam anno 202 exeunte jam Romae degebat, probabilius est eum maritimo itinere rediisse. Deinde primum ex Syria in Aegyptum Alexandriam transiit, id quod vix fecisset, si per Cappadociam, Mysiam, Thraciam redire in animo habuisset. Denique omnem dubitationem tollit nummus, quo reditus Augustorum celebratur, ab Eckhelio exhibitus. Quo in nummo legitur ANTONINVS. PIVS. AVG. et in adversa ADVENT. AVGG. *cum typo triremis* 4), qui maritimo itinere reversos esse Augustos egregie docet. Qui contra in medium proferuntur nummi adventum Augustorum celebrantes, in quibus expressae sunt imagines Severi, Caracallae, Getae in equis, dextris rursum elatis, potius eos triumphantes urbem intrantes ostendunt. Quae quum ita sint, res a Julio Capitolino traditae non itineris tempore a. 202 gestae sunt, sed potius prioribus annis belli contra Nigrum gesti, quo tempore Severus aliquamdiu in Thracia commoratus est. Eo enim optime quadrant quae Capitolinus narrat.

1) Hist. des Empereurs III. Note XXIV. sur l'empereur Severe p. 460.

2) cf. Hist. III. c. 10. (edd. Irmisch. p. 662) *Καταστήσας δὲ τὰ κατὰ τὴν ἀνατολὴν ὁ Σεβῆρος, εἰς τὴν Ῥώμην ἠπείγετο, ἐπαγόμενος τοὺς παῖδας, εἰς ἡλικίαν ἐφήβων ἤδη τελοῦντας. Ἀνύσας δὲ τὴν ὁδοιπορίαν, τά τε ἐν τοῖς ἔθνεσι διοικήσας, ὡς ἑκάστοτε ἀπῄτει τὰ χρειώδη, τά τε ἐν Μυσοῖς καὶ Παίοσι στρατόπεδα ἐπελθὼν διαφό- ρως [illegible]*

3) l. LXXV. 15.

4) cf. Eckh. Doctr. Numm. VII. 202.

Jam vero sententiis eorum, qui certum martyrii annum constitui posse existimant, rejectis, nos quidem aetatem martyrii disquisituri confiteamur necesse est, ad certum annum, quo martyrio coronatae sint sanctae feminae, constituendum indicia, quae in actis insunt, non sufficere nobis videri. Ad spatium autem plurium annorum, intra quos martyrium illud factum sit, definiendum plurimum faciunt verba c. 7: „Natale tum Getae Caesaris“[1]. „Natale“ de die anniversario, quo Geta natus est, intelligendum esse nobis videtur. Cui quidem sententiae oppugnat, quod Getam VI. Kal. Jun. natum esse Spartianus[2] narrat, martyrium contra ab omnibus Nonis Martiis adscribitur. Quam ob rem non solum Muenterus, ut supra vidimus, sed antea jam Basnagius[3] natale non id esse putaverunt, quod proprio sensu diceretur, sed diem, quo Geta Caesaream nactus esset dignitatem. Sed ne hoc quidem Nonis Martiis evenisse facile est ad probandum, nam eodem Spartiano teste[4] Geta a militibus Ctesiphontem oppugnantibus Caesar appellatus est, quae obsidio auctumni tempore fuit. Sunt quidem, qui ab aliis simul difficultatibus chronologiam imperii Getae liberaturi duplex ponant initium dignitatis Caesareae; et alterum illi quidem a tempore, quo a militibus Ctesiphontem oppugnantibus Caesar declaratus sit, alterum a tempore, quo a Senatu confirmatus sit, repetunt; quod quidem posterius factum esse contendunt Nonis Martiis, ideoque ab eo die Caesareae dignitatis annos numeratos esse. At vide quam sint haec infeliciter excogitata. Nam quum Caesarea Getae et Antonini Augustana dignitas inde ab a. 198 numerentur, Nonis Martiis illius anni a senatu confirmatam dignitatem, a. superiore 197 auctumnali tempore a militibus iis donatam esse necesse est, sed hunc annum fere totum Romae transegit Severus et exeunte demum anno Roma in bel-

1) cf. Eckh. Doctr. numm. VII. 151, 203.

2) cf. Vita Antonini Getae c. 3: »Natus est Geta Severo et Vitellio coss. Mediolani, etsi aliter alii prodiderunt, VI. Kalend. Junias.«

3) Annales Politico-Ecclesiastici ad a. 203.

4) cf. Vita Severi c. 16.

lum Parthicum profectus est, ita ut posteriore demum anno urbs Ctesiphon obsidione cincta esse videatur. Nihil igitur restat nisi ut statuamus, vel Kalendaria in die martyrii vel Spartianum in die natali indicando errasse, id quod verisimilius est, quum ipse ille dicat de ortu Getae ab aliis alia tradi, unde nec locum nec tempus, quo natus est, satis cognitum fuisse apparet. „Natale“ igitur quum diem anniversarium, quo Geta natus est, intelligamus, haec verba nihil aliud docent, nisi martyres, quo tempore Geta Caesarea ornatus erat dignitate, passas esse. Caesaris autem dignitate utebatur Septimius Geta inde ab a. 198 usque ad a. 209; nam a. 198 in oriente Caesar est appellatus, eodem nempe anno quo frater Antoninus, quem vulgo Caracallam dicunt, Augustus renunciatus est; a. 209 in Britannia Augusti dignitatem nactus est, id quod Eckhelius in praeclara illa de Tribunitia potestate commentatione [1]) probavit. Quod magnum temporis spatium propter aliud, quod acta afferunt, aetatis indicium arctioribus circumscribendum est finibus. In generali enim persecutione sanctas martyres cum sociis passas esse ipsa acta docent et c. 11 alios enumerant martyres Jocundum, Saturninum, Artaxium, qui in eadem persecutione vivi arserunt. Qua ex re concludere licet, persecutionem quam dicunt Severianam eo tempore jam flagrasse et edictum Severi de Christianis jam sancitum esse. Quod quidem edictum in itinere Palaestinensi paullo post consulatum una cum filio Antonino susceptum a. 202 ab imperatore datum esse inter omnes constat. Deinde quum alii martyres jam in illa persecutione capite damnati enumerentur, martyrium tempus verum a. 203 vix antecedere potuit. Etiam ab altera parte coarctari potest temporis spatium. Nihil quidem ad rem facit, quod Tertullianus in libro de anima martyrum nostrarum mentionem facit, nam hunc librum non ante a. 208 vel 209 scriptum esse infra probabimus. Sed persecutio Severiana haud ita multos annos perseverabat, verisimilius e contrario videtur, aestum

1) cf. Doctr. Numm. VIII. p. 428.

persecutionis jam a. 205 vel 206 defervisse, id quod scripta Tertulliani, quae illis annis edita sunt, indicant. Martyrium autem SS. Perpetuae et Felicitatis primum jam impetum maximumque vim persecutionis prodere videtur. Quam ob rem spatium annorum ab a. 203 usque ad 205 vel 206 constituimus, intra quos sanctae feminae martyrio coronati sint. Accuratius rem definiri hic non licet; fortasse comparatio scriptorum Tertulliani, quam infra instituemus, ad tempus accuratius constituendum nos adjuvabit.

Jam vero, quae ad nostram rem faciant, acta perscrutantes in quaestionem incidimus a multis saepe exagitatam, de orthodoxia scilicet et ejus qui acta composuit et ipsarum martyrum. Auctorem vel potius compilatorem actorum, nam maxima eorum pars ab ipsis martyribus scripta est, in Montanismo degisse inter omnes fere constat. Taceo de Dodwelli sententia, qui auctorem non modo catholicae communionis et alieno a Montanistis fuisse animo, sed etiam ob eam ipsam causam documenta illa edidisse putat, ut novas Montanistarum prophetias falsi convinceret 1). Acerrimus ipse SS. Perpetuae et Felicitatis defensor J. Aug. Orsi concedit, compilatorem actorum Montani sectatorem fuisse. Quae autem argumenta Basnagius attulit ad ipsarum martyrum Montanismum probandum, Orsius multis verbis rejicere conatus est, et re vera omnia argumenta externa, quae Basnagius in prima acie posuerat, nihil ad rem facere nobis videntur. Nec compilatoris Montanismus nec Tertulliani laudes, quibus martyres afficit, eas haereseos convincunt. Nihilo autem gravius est argumentum, quod Orsius e compilatoris Montanismo *pro* SS. martyrum orthodoxia deducit. Si re vera martyres Montanistae fuissent, „scriptor Montanista non dissimulasset aut verbis solum ambiguis et obscuris indicasset, fortissimos Athletas sectae suae martyres exstitisse; hos novam prophetiam fructus germinasse, ad ejusmodi certamina, duriore, quam induxerat, disciplina Montanum imbelles quoque feminas insti-

1) cf. Diss. Cypr. IV. §. 8 sqq.

tuisse.“ In eodem errore et Basnagius et Orsius versantur. Uterque cogitatione sectam Montanistarum fingit eam, quae non solum omnino excultam doctrinam habuerit, sed etiam ab ecclesia catholica sejuncta jam fuerit. Qua re pervertunt quaestionem, quae facilis est ad solvendum errore illo rejecto. Nec de exculto omnino Montanismo nec de secta ab ecclesia catholica separata cogitandum est; itaque nihil faciunt argumenta externa a Basnagio et Orsio allata. Maximi autem momenti argumenta interna sunt e verbis et visionibus martyrum deducta, et quae contra ea disputat Orsius, e doctrina et Montanistarum et ecclesiae catholicae de spiritu sancto ejusque donis parum intellecta proficiscuntur. Sine dubio sermones et visiones Perpetuae et Saturi Montanismum redolent. Missam facio eorum sententiam, qui Perpetuam Artotyritis adnumerandam esse putant, quum pastorem, quem in prima visione vidit, *de caseo quod mulgebat* sibi buccellam dedisse referat, nam caseus ille ad solam imaginem pastoris illustrandam pertinet. Martyres Montanismi convincunt non visiones, quas accipiunt, per se spectatae, quamquam non nego magno earum numero (una Perpetua tres habet visiones) in suspicionem vocari earum orthodoxiam, sed potius modus earum et ratio. Perpetua de se ipsa „Sciebam“ dicit „me fabulari cum domino“ (c. 4); se gessit, ut Basnagii verbis utar, „quasi spiritum s. veluti monile quoddam in arca inclusum haberet ad nutum, ejus illustrationibus quando vellet usura ad arbitrium“; summa cum confidentia fratri, qui ab se petebat, ut visionem postularet, qua utrum passio esset an commeatus ostenderetur, respondit: „Crastina die tibi renunciabo“; visiones sine dubio extaticae erant, nam in fine uniuscujusque legitur „et experrecta sum“, sicut et postea collector actorum de ea: „quasi a somno expergita, adeo in Spiritu s. et in extasi fuerat“ (c. 20).

Itaque si et de compilatoris et de martyrum Montanismo persuasum nobis est, maximi momenti sunt acta ad cogno-

1) l. c. p. 73.

secundam conditionem, quae eo tempore fuerit Montanistarum in ecclesia Carthaginiensi.

Primum elucet, Montani sectatores, quo tempore sanctae feminae passae sunt, nondum ab ecclesia catholica disjunctos fuisse. Cui rei jam id argumento est, quod ecclesia catholica martyres nostras praecipuo semper in honore habebat. Carthagini basilica major iis dicata erat, in canone missae Romanae nomina earum inveniuntur, in veteribus martyrologiis earum memoria exstat, Augustini plures sermones nostram tulerunt aetatem die natali SS. Perpetuae et Felicitatis habiti, quin etiam acta ipsa, id quod sermones Augustini probant, in ecclesia Carthaginiensi perlegi solebant [1]). Quae Martyrum veneratio omnino explicari non posse videretur, si Martyres communione ecclesiae catholicae carerent. Cui rei si quis forte non tantam vim, quantam omnes fere viri docti, tribuere in animo habeat, quum non desint exempla, quae probent haereticos etiam Martyres ab ecclesia catholica in numerum venerandorum acceptos esse, omnem dubitationem tollant ipsa passionis acta necesse est. Semper martyres membra ecclesiae catholicae produnt. Diaconi iis in carcere ministrant (*c.* 3. 10); Optatum episcopum Carthaginiensem Saturus et Perpetua *papam* salutant [2]); et ipse actorum compilator eos, quorum sententiam a Montani doctrina alienam impugnat, nullo verbo a se sejunctos indicat; omnes christianos fratres et filiolos alloquitur, omnibus exempla martyrum proponit, ut omnes „habeant communionem cum sanctis martyribus et per illos cum Domino Jesu Christo“ (c. 1).

Deinde acta nos docent Montanistarum errores eo tempore Carthagini pervulgatos fuisse. Illam de spiritu s. doctrinam, quam radicem et fundamentum Montanismi existimamus, vim spiritus s. novissimis temporibus majorem esse

---

1) cf. August. Nat. Mart. P. et F. Serm. I. (ed. Bened. Serm. CCLXX. Tom. V. p. 791.): »Exhortationes earum in divinis revelationibus, triumphosque passionum *cum legerentur audivimus* etc.«

2) c. 13: »Non tu es Papa noster?« Quod in visione haec verba dicta sunt, nihil ad rem facit.

quam prioribus et, eo duce, ecclesiam ad novam et perfectiorem pervenire aetatem, disertis verbis auctor in praefatione actorum edicit. Jam videmus controversiam exortam inter eos, qui, ut ipsius auctoris verbis utar, „*unam* virtutem spiritus unius sancti pro aetatibus judicabant temporum“ et eos, qui „majora reputabant novitiora quaeque ut novissimiora secundum exuberationem gratiae in ultima seculi spatia decreta.“ Quamquam autem disertis verbis doctrina fundamentalis Montanismi proponitur, negligendum non est, quod nusquam disertis verbis Montanus et mulierum prophetiae agnoscuntur. Spiritum sanctum novissimis temporibus majora locutum esse docet auctor, qui tamen idem ne verbo quidem, paracletum *in Montano* exstitisse et per mulieres prophetides locutum esse, indicat, id quod perspicue eundem priorem Montanismi statum prodit, quem in nonnullis Tertulliani scriptis invenimus.

Sed multo clariorem etiam lucem afferunt acta passionis historiae Montanismi in ecclesia Carthaginiensi, et miror, quid sit, quod parum iis usi sint viri docti. Narrat Saturus martyr c. 11 sq. quae in horomate vidit, se una cum Perpetua ad coelum ascendisse ibique sublatum esse ad thronum Domini. Deinde pergit: „Et exivimus et vidimus ante fores *Optatum episcopum* ad dexteram et *Aspasium presbyterum doctorem* ad sinistram, separatos et tristes, et miserunt se ad pedes nobis et dixerunt: Componite inter nos; quia existis et sic nos reliquistis. Et diximus illis: Non tu es Papa noster et tu Presbyter, ut vos ad pedes nobis mittatis? et moti sumus et complexi illos sumus. Et coepit Perpetua cum illis loqui, et segregravimus eos in viridarium sub arbore rosae. Et dum loquimur cum iis, dixerunt illis angeli: Sinite illos, refrigerent; et si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem et conturbaverunt eos. *Et dixerunt Optato: Corrige plebem tuam, quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes et de factionibus* [1]) *cer-*

1) Cod. M. S. »defatigationibus«. Recte jam Holstenius correxit »de factionibus.«

tantes. Et sic nobis visum est quasi vellent claudere portas.“ Quibus verbis quin status et conditio ecclesiae Carthaginiensis describatur, nullum est dubium. Optatus, id quod et Morcelli [1]) et Muenterus statuunt [2]), episcopus Carthaginiensis est, qui quidem eo tempore in cathedra sedebat. Nam quamquam in eo loco eum vidit Saturus, ubi mortui morantur, tamen, eum mortuum nondum esse, ea re indicatur, quod ab angelis una cum presbytero repellitur, quoniam ibi adesse iis nondum licet. Perinde Aspasius presbyter ecclesiae Carthaginiensis est et doctor ille cognominatur, quia officii illius erat, plebem, praecipue catechumenos, docere. Inter utrumque dissensionem ortam esse docemur, et quaerentibus nobis, quaenam fuerit dissensio illa, sponte se offert conjectura, eam a disceptatione Montanismi alienam non fuisse. Quo enim vehementius aliqua quaestio ecclesiam permovet, eo magis omnes alias quaestiones occupare solet. Quam suspicionem luculenter confirmant ipsa acta. Episcopum a martyribus alieniorem vidimus quam Aspasium, nam Optatus corrigitur, presbyter non item. Et quod episcopo vitio vertitur, nihil aliud est, nisi quod Montanistae semper Psychicis exprobrabant, disciplinam ecclesiasticam ab iis negligi. Nam quae angeli dicunt: „corrige plebem tuam“ nihil aliud volunt, nisi „disciplinam ecclesiasticam magis neglexisti; rigidiorem severioremque exerceas disciplinam“; et quae adduntur „quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes et de factionibus certantes“ non sine aliqua causa dicta sunt. Factiones enim de quibus angeli verba faciunt, non de factionibus et dissensionibus ecclesiasticis intelligendae esse videntur, ut Holstenio [3]) et Muentero [4]) placuit, sed potius de factionibus circensibus, et aliam attinguut haec verba quae-

1) cf. Africa christiana II. p. 53. Sine causa Morcelli statuit eum ab a. 200 usque ad a. 204 sedisse.

2) Prim. Afr. p. 25.

3) l. c. p. 157. Cogitat vir doctissimus de dissidiis, quibus ecclesia Tuburbitana distracta fuit in partes.

4) ad hunc loc. Prim. eccl. Afr. p. 242 adn. 141.

stionem inter mitiorem et rigidiorem ecclesiae Carthaginiensis partem agitatam, quaestionem illam, de qua Tertullianus librum conscripsit „*de spectaculis*," utrum homini christiano liceat circo adesse, necne. Qua re verisimillimum nobis videtur, dissensionem inter Optatum et Aspasium, de qua acta verba faciunt, nullam aliam fuisse nisi eam ipsam inter Montanistas et catholicos, quae eo tempore jam orta erat, sed nondum sejunctionem partium adduxerat. Hoc posito et concesso, docemur episcopum Carthaginiensis ecclesiae inimicum fuisse Montanistarum; deinde, id quod magni momenti res esse nobis videtur, quae tamen etiam aliunde confirmatur, Montanistas semper de reconciliatione cogitasse.

Postremo paucis complectamur, quae acta nos docent de statu et conditione Montanistarum in ecclesia Carthaginiensi. Quo tempore SS. Perpetua et Felicitas martyrium consummarunt, doctrinae Montani quamquam non omnino excultae, in ecclesia Carthaginiensi pervulgatae erant, episcopus Optatus Montani sectatoribus inimicus erat, qui quidem nondum a communione ecclesiae catholicae sejuncti reconciliationem potius perficere studebant.

CAP. II. DE TEMPORUM SEVERIANORUM CHRONOLOGIA.

Quum hoc modo in universum cognoverimus, quae fuerit Montanistarum in ecclesia Carthaginiensi ejus temporis conditio, quo Tertullianus noster Montani partes suscepit, ipsa Tertulliani adeamus scripta. Priusquam autem aetatem eorum constituamus et inde annum, quo Tertullianus ad Montanismum delapsus sit, cognoscamus, opus est res gestas imperatoris Septimii Severi accuratius perspicere temporumque ordines investigare. Ad aetatem librorum Tertulliani eruendam maximi momenti est chronologia Severi, ideoque Noesseltus universam disquisitionem chronologia Severi tanquam fundamento superstruxit. Cui tamen non in omnibus rebus assentire possumus, nec Tillemontii nec Clintonii [1]) accurata hac de re disputatio sufficere nobis videtur. Itaque accuratiorem hac de re praemittamus disquisitionem. Haudquaquam autem universum imperii spatium hic contemplandum est, sed solum temporis spatium inde a victoria de Albino reportata usque ad reditum e bello in Oriente cum Parthis gesto. Itaque in rebus hoc tempore gestis disquirendis nos contineamus.

Severum Augustum a. 197 XI. Kal. Mart. victoriam de Albino in Gallia reportasse inter omnes constat. Ad victoriam celebrandam populo spectacula et congiarium, militibus

---

1) *Tillemont:* Histoire des empereurs. A Paris 1702. Tom. III, p. 1 sq.; deinde: Notes sur l'empereur Sevère p. 447 sq. — *Henry Fynes Clinton Esq.:* Fasti Romani. The civil and literary chronology of Rome and Constantinople from the death of Augustus to the death of Justin II. Oxford 1845.

donativum dedit. Ac de hoc quidem congiario et donativo dissentiunt Aelius Spartianus et Herodianus. Xiphilinus in Dionis epitome nihil hac de re dicit. Herodianus illum paullo post reditum e bello civili cum Albino gesto populo congiarium, militibus donativum dedisse narrat [1]), Spartianus contra congiarium et spectacula edita esse, quum imperator bellum Parthicum pararet [2]). Praeterea autem paullo post victoriam reportatam imperatorem militibus tantum stipendiorum quantum nemo principum dedisse tradit [3]). Noesseltus [4]) incertus est, utrum eandem uterque respexerit liberalitatem, an aliud intelligatur congiarium ab Herodiano aliud a Spartiano. Eckhelius [5]) cum Herodiano sentit. Equidem distinguendum esse putaverim inter congiarium cum spectaculis populo concessum et donativum militibus datum. Hoc priore tempore paullo post Albinum superatum datum esse nummi docent ab Eckhelio illustrati, qui Severum Imp. VIII. vocant [6]). Qui contra spectacula ab imperatore edita celebrant nummi, habent Imp. IX. [7]), qua re probatur spectacula posteriore tempore edita esse, et nisi egregie fallor, ut Spartianus tradit, paullo ante quam proficisceretur Augustus in Orientem. Nam mos erat, ut Julius Capitolinus in vita Maximi et Balbini c. 8. multis verbis docet, ut proficiscentes ad

---

1) cf. Herodian l. c. l. III. c. 8. §. 7 (ed. Irmisch II. 622): »Ὁ δὲ οὖν Σεβῆρος, εἰς τὸ τοῦ Διὸς τέμενος ἀνελθὼν, καὶ τὰς λοιπὰς τελέσας ἱερουργίας, ἐπανῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια· καὶ τῷ δήμῳ προύθηκεν ἐπὶ ταῖς νίκαις μεγίστας νομάς· τοῖς τε στρατιώταις ἐπέδωκε χρήματα πλεῖστα, ἄλλα τε πολλὰ συνεχώρησεν, ἃ μὴ πρότερον εἶχον.«

2) cf. Vita Severi c. 14. »Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere et congiario populo dato.«

3) cf. l. c. c. 12: »Denique militibus tantum stipendiorum quantum nemo principum dedit.«

4) l. c. §. IX p. 73.

5) D. N. VII. p. 175.

6) cf. D. N. VII. p. 175: L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIII. — LIBERALITAS. AVG. II.

7) cf. Eckhel l. c. p. 176: L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIIII. — MVNIFICENTIA. AVG. (Elephas loricatus).

bellum imperatores munus gladiatorium darent, et illam profectionem imperatoris qui celebrant nummi iidem eum Imp. IX. vocant [1]). Herodianus per errorem spectacula eodem tempore, quo donativum dedit militibus imperator, edita narrat, Spartianus de donativo tacet, nisi forte, quae antea attulimus verba c. 12, de donativo intelligenda sunt.

Versus finem ejusdem anni 197 Severus in Orientem ad bellum Parthis inferendum profectus est. Noesseltus quidem expleta priore parte a. 198 imperatorem profectum esse putat [2]), sed falso, nam nummus profectionem ejus exhibens, ut antea memoravimus, Imp. IX. eum vocat. Exstat autem apud Eckhelium alius nummus, in quo legitur: L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP. X. — P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. Quum igitur jam anno 197 decimum imperator renunciatus sit et Roma profectus nonum imperator fuerit, sine dubio a. 197 profectus est.

Belli in Oriente a Severo gesti chronologia maximis est difficultatibus impedita. Attamen, quum magnum faciat ad complurium Tertulliani librorum aetatem constituendam, non possumus facere, quin accuratius eam investigemus.

Proficiscamur a Spartiani verbis, qui in vita Severi c. 15—17 res in Oriente gestas hoc fere modo refert: Trajecto exercitu imperator in Syriam venit et Parthos submovit. Postea in Syriam rediit, ut se pararet et bellum Parthis inferret. Hic Pescennianas reliquias persecutus permultos capite damnavit et, aestate jam exeunte, Parthiam ingressus Ctesiphontem cepit, qua urbe capta Bassianum Antoninum Augustum, Getam Caesarem milites dixerunt. Inde in Syriam rediit victor et Antiochiae, data virili toga filio majori, secum eum consulem designavit; statim in Syria consulatum inierunt Severus et Antoninus. Post hoc, dato stipendio

---

1) cf. Eckhel l. c. p. 176, ubi nummus exhibetur eandem habens adversam L. Sept. Sev. Pert. Aug. Imp. VIIII. — PROFECTIO. AVG. (Imperator eques d. hastam).

2) cf. l. c. §. XIX. p. 73. cfr. §. XVI. p. 62.

cumulatiore militibus, Alexandriam petiit, unde Romam revertit.

Et initium et finis belli certo definiri possunt. Ut antea demonstravimus, ad bellum gerendum profectus est Severus a. 197. Consulatu una cum filio majore functus est a. 202, ergo sese cum filio consulem designavit a. 201. Praeterea etiam, quo anno urbs Ctesiphon expugnata sit, constitui potest. Spartianus enim refert, milites urbe illa capta Antoninum Augustum, Getam Caesarem dixisse. Antoninum autem tribunitiam potestatem a. 198 accepisse nummi ejus docent, nam nummi ultimi ejus anni 217 habent TR. P. XX. [1]) itaque initium trib. pot. in annum 198 cadit. Illo igitur anno urbs Ctesiphon expugnata est. Quod argumentum Noesseltus, qui hac in re omnia perturbat, effugere studet distinguens annum, quo Caracalla a senatu Augustus vocatus sit, (a. 198, sicut ille putat, ante profectionem Severi in Orientem, cf. l. c. p. 72) ab eo anno, quo a militibus Augustus dictus sit (secundum viri docti sententiam a. 201). Sine causa ita distinxit. Nam Noesseltus ipse vix dicere possit, cur, si senatus et Severus ipse Caracallam jam Augustum renunciassent, milites *post triennium* eum iterum Augustum dixerint! Sunt etiam, qui alio modo distinguant inter vocationem a militibus et confirmationem a senatu factam, sed e contrario hanc posteriori, illam priori attribuunt anno. Sed satis est hac in re provocare ad Eckhelium, qui in dissertatione de tribunitia potestate opinionem illam, quae nititur in errore, quem jam supra attigimus, quo ducti vv. dd. Tr. P. non a Kal. Jan. usque ad Kal. Jan. anni sequentis, sed a die acceptae dignitatis usque ad eandem diem sequentis anni numerari solere opinabantur, acerrime refutavit [2]). Quod si conceditur, Antoninum a. 198 dignitate Augusti ornatum esse, non video, quam ob rem a Spartiano [3]) dissen-

1) cf. Eckh. D. N. VII. p. 217.
2) cf. D. N. VIII. p. 423.
3) Facere non possum, quin hic nonnulla adjiciam de auctoritate

tiamus, qui id ad Ctesiphontem factum esse memorat [1]). Tria igitur habemus temporis momenta certo definita: initium belli, quod fuit anno exeunte 197, expugnationem Ctesiphontis, quae fuit auctumno a. 198, finem belli, qui fuit a. 201.

---

et fide Aelii Spartiani, cui non solum vitam Severi et Pescennii Nigri, Antonini Caracallae et Getae, sed etiam cum Dirksenio (die Scriptores Historiae Augustae p. 10) vitam Clodii Albini, vulgo Julio Capitolino adscriptam, tribuimus. Spartianus in illorum imperatorum vita describenda e fontibus hausit, qui maximam habent fidem et auctoritatem. In primis usus est vita Severi ab eo ipso conscripta (cf. Vita Sev. c. 3. 13. — V. Pesc. Nigri c. 4), deinde Marium Maximum (cf. Sev. c. 15) et Aelium Cordum (cf. Lev. c. 21) auctores habet. Quibus tamen omnibus sine ulla arte historica usus esse videtur. Quae illi referunt de rebus gestis imperatorum in unum oomponere nescit, sed modo hunc modo illum sequitur, saepe eandem rem bis referens. Quam ob rem quae in legendo Spartiano servanda sit lex atque regula haec esse videtur, ut magnam Spartiano fidem in singulis rebus ab eo traditis tribuamus, minorem in ordine rerum gestarum, quem ille exhibet. In singulis rebus, magnis praesertim (ut in re, de qua agitur, num Caracalla ad Ctesiphontem a militibus Augustus vocatus sit) a Spartiano dissentire cunctamur, in chronologia ejus maximam semper adhibebimus cautionem.

1) *Clinton* p. 203 ad A. D. 198 a Spartiano discedens Caracallam jam ineunte a. 198 Augustum vocatum esse contendit. »In Cod. Justin. he is uniformely Antoninus Aug. in Feb. March and May; and this is confirmed by the coins, which mark him as Augustus when Severus is yet only Imp. X. Wherefore we may conclude that Spartianus is inaccurate. Caracalla was probably Augustus in the beginning of this year; many months before the capture of Ctesiphon.« Sed nummi, quamquam re vera Antoninum Aug. vocant, quum Severus Imp. X. esset (cf. Eckh. VII. 617), nihil probant, quum Severum post captam demum Ctesiphontem Imp. XI. vocatum esse verisimile sit, Caracalla autem antea Augusto creato, nihilominus conveniant Anton. Aug. et Severus Imp. X. Quod deinde Justin. Cod. jam ineunte anno Aug. Antoninum vocat (II, 12, 4; IV, 28, 2 et 3; II, 39, 1) haud magni faciendum videtur, quum idem Just. Cod. Caracallam jam a. 197 Aug. dicat (II, 12, 2; 19, 2; V, 25, 4; VI, 49, 1 et sexcentis aliis locis) vel jam a. 196 (III, 15, 1; IV, 19, 1; IV, 26, 1 ect.), quo anno sine dubio Caesar fuit.

His cognitis, si ordinem, quo Spartianus res a Severo in Oriente gestas refert, examinabimus, hunc ordinem ab eo paululum turbatum esse videbimus. Nam sive ab initio belli incipimus annos numerare, sive a fine, series annorum definiri non potest. Etsi Severus, quum in Oriente adesset, statim Parthis bellum intulit, sine dubio in subjiciendis Parthis maximam a. 198 partem consumsit. Deinde i. e. fere a. 198 exeunte Spartiano auctore in Syriam rediit, ut sese pararet ad bellum denuo Parthis inferendum. Aestate exeunte denuo in Parthiam ingressus Ctesiphontem cepit, quod, etsi in omnibus rebus gerendis minimum ponimus temporis spatium eum consumsisse, non ante a. 199 fieri potuit. Id autem non convenit cum anno, quem antea constituimus. Minus etiam temporis ordo servari potest, si ab anno consulatus proficiscimur. Una cum filio majore se consulem designavit Severus a. 201 et, quum Spartianus Ctesiphontis expugnationem arctissime conjungat cum reditu in Syriam, aestas, qua exeunte urbs illa capta est, nulla alia nisi a. 200 aestas esse possit, id quod falsum esse demonstravimus. Utroque igitur modo Spartiani chronologia turbata videtur, indeque apparet, Spartianum solum ad rerum gestarum ordinem definiendum non sufficere.

Quam ob rem Cassium Dionem et Herodianum in auxilium vocemus oportet. Quorum neuter quidem disertis verbis tradit, Severum bello nondum confecto in Syriam revertisse et postea denuo Parthis bellum intulisse, ita ut commoratione illa in Syria bellum Parthicum in duas divideretur partes. Attamen haesitaverim, quae Spartianus hac de re narret, omnino rejicere. Herodianus enim res gestas neque diligenter neque accurate describens maximas turbas movet. Quid commemorem, quod vel Arabiam felicem adiisse imperatorem refert [1]), cujus terrae fines Severum nunquam vidisse

1) cf. l. c. l. III. c. 9. §. 5. (ed. Irmisch. II. p. 646). Herodianum audiendum non esse *Sturzius* idem decrevit in Annotationibus ad Dionis l. LXXV. T. II. p. 759.

sine ullo dubio confirmari potest. Quae autem Cassius Dio de rebus gestis Severi narrat, ea nisi in Xiphilini epitome non exstant, in qua persaepe aliquid omissum esse omnibus cognitum est. Accedit, quod vel in Xiphilini epitome, ut postea probabimus, commoratio illa Severi Syriaca paulo obscurioribus verbis indicatur.

Quae vero de rebus gestis Severi Dio narrat, haec fere sunt [1]: Severus ad bellum contra Parthos gerendum profectus primum Nisibin venit et exstructis in Euphrate navibus partim maritimo partim pedestri itinere profectus celeriter (τάχεως) Seleuciam et Babylonem urbes a militibus Romanis jam derelictas occupavit. Deinde et Ctesiphontem cepit, quam tamen urbem non retinuit, sed et ignorantia locorum et inopia rerum necessariarum coactus discessit et alia via partim juxta Tigrin fluvium partim in ipso fluvio Armeniam versus exercitum duxit. Postea Mesopotamiam transgressus Atra urbem inter Tigrin et Euphratem sitam aggressus est. Sed nihil profecit et omissa obsidione castra movit. Quibus traditis Dio de caede clarissimorum virorum Laeti et Julii Crispi, tribuni praetorianorum militum, mentionem facit et postremo narrat, Severum comparato magno commeatu paratisque machinis iterum adversus Atra exercitum duxisse. Quam urbem quum iterum frustra obsessam tenuisset, in Syriam rediit.

Jam vero, si Xiphilinum respicimus, elucet, urbem Ctesiphontem initio belli captam esse. Neque minus, quo tempore Severus in Syria commoratus sit, facile est intellectu. Defendere enim non dubito, Severum non ante Ctesiphontis expugnationem, ut Spartianus falso refert, sed potius postea inter primam et secundam urbis Atrenorum oppugnationem in Syria degisse. Nam quod Dio c. 11 narrat, Severum, priusquam Atra denuo aggressus esset, magnum comparavisse commeatum multasque machinas, id non in Mesopotamia sed in Syria factum esse verisimile est, ubi, quae ad

---

2) cf. Hist. Rom. l. LXXV. c. 9 sq.

bellum parandum necessaria sunt, in promptu erant, et quo ab urbe Atrenorum facilius exercitum ducere potuit, quam Nisibin, unde bellum coepit. Idem refert Spartianus c. 15, Severum *in Syria* commorantem ad bellum denuo gerendum se parasse. Quae nostra opinio egregie confirmatur, si videmus idem, quod Xiphilinus factum esse refert inter priorem et secundam urbis Atrenorum oppugnationem, caedem dico Laeti, a Spartiano, quo tempore in Syria degeret imperator, evenisse tradi.

Quodsi probabitur, Severum inter priorem et secundam urbis Atrenorum obsidionem in Syria belli parandi causa versatum esse, res gestae, quo ordine Dio eas tradidit, facile in singulos annos distribuuntur. A. 197 in bellum profectus, anno exeunte Nisibin venit ibique bellum paravit; a. 198 Seleuciam et Babylonem occupavit et exeunte auctumno Ctesiphonte expugnata exercitum secundum fluvium Tigrin duxit. Postea transgressus Mesopotamiam Atra primum frustra obsidet et anno exeunte in Syriam redit, ubi, hiemali tempore commeatu et machinis comparatis, a. 200 denuo frustra Atra aggressus versus finem anni in Syriam rediens a. 201 ibi sese cum filio majore consulem designavit.

Quae chronologia a nobis constituta egregie confirmatur titulis Severi. Quum Roma in bellum adversus Parthos proficisceretur, Severus Imperator IX. fuit, sed ejusdem anni jam supra p. 21 laudavimus nummos, in quibus Imperator X. vocatur, qua re probatur jam a. 197 exeunte Severum hostes proelio superasse. Respicienda esse mihi videntur ea, quae a Severo ad Nisibin gesta referuntur, quam urbem a Parthis Vologaeso duce obsessam et propemodum captam a Laeto fortiter defensam obsessione liberavit [1]. Anno sequente Imperator XI. dicitur et in nummis [2] et in marmori-

---

1) cf. Dio Cass. Hist. Rom. l. LXXV. c. 9.

2) cf. Eckh. D. N. p. 176 et 177. Trib. Pot. VI. conjuncta invenitur et cum Imp. X. (L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. X. — P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P.) et cum Imp. XI. (L. SEPT. SE-

bus [1]. Eodem anno cum TR. P. VI. conjunctum primum invenitur nomen Parthici Maximi [2]. Qui novi tituli docent, illo anno Severum victoriam de Parthis reportasse, id quod optime quadrat in nostram chronologiam; nam secundum nostram opinionem anno 198 Seleuciam, Babylonem, Ctesiphontem occupavit. Inde ab eo tempore nullum novum invenitur nomen Severo propter victorias attributum usque ad bellum, quod contra Britannos gessit. IMP. XI. una cum TR. P. VIII. (a. 200) [3], TR. P. XI. (a. 203) [4]; TR. P. XII. (a. 204) [5] in marmoribus legitur. Vel in marmore, quod apud Maceratam, Piceni oppidum, in colonia Helvia repertum Gruterus [6] p. CCLXV sub N° 5 exhibet, legitur: L. SEPTIMIO. SEVERO. || PIO. PERTINACI. AVG. || ARABIC. ADIAB. PARTHIC. || MAXIMO. P. M. TRIBUNIC. || POTEST. XIII. IMP. XI. COS. III. || P. P. || COLONIA. HELVIA. RICINA. || CONDITORI. SUO. ||. Qua re probatur a. 205 numerum nondum auctum esse [7].

VERVS. PER. AVG. P. M. IMP. XI. — PAR. AD. TR. P. VI. COS. II. P. P.).

1) In collectione inscriptionum Orellii (Turici 1828) T. I. p. 209 Nr. 905 columna exhibetur, duobus milliariis a Sidone Tyrum versus inventa, cui inscribitur: IMPERATORES || CAESARES || L. SEPTIMIVS SE||VERVS PIVS PER||TINAX AVG. ARA||BICVS ADIABENIC || PARTHICVS MAXI||MVS TRIBVNICIA || POTEST. VI. IMP. XI. COS. II. || PROCOS. P. P. || ET M. AVREL. etc. etc.

2) Nummi quidem, qui TR. P. VI. exhibent, hoc titulo ornati Eckhelio teste (cfr. l. c. p. 177) non inveniuntur, sed laudat Eckhelius bina marmora apud Sidonem reperta (cf. Muratori p. 2009. 1. 2) eaque fide digna, in quibus Severus Parthicus Maximus vocatur (cf. adn. praec.). Qui hunc titulum cum TR. P. VII. conjungunt, nummi et inscriptiones permultae inveniuntur (cf. Eckhel. l. c. p. 177 sq. — Orelli I. p. 213 Nr. 926 ubi TR. P. II. Caracallae, cui TR. P. VII. Severi respondet).

3) cfr. Orelli l. c. p. 210 Nr. 908.

4) Inscriptio arcus Septimii Severi ap. Orelli l. c. p. 211 Nr. 912.

5) Inscriptio minoris arcus Severi in Foro Boario ap. Orelli l. c. Nr. 913.

6) vid. *Gruteri* inscriptiones antiquae totius orbis Romanae ed. Graevius Amstelaedami 1707. cf. *Orelli* l. c. Nr. 915.

7) Non neglex imus inscriptionem in pluribus lapidibus milliariis

Mediobarbus [1]) nummos exhibet, in quibus legitur TR. P. XV. et IMP. XII. et alios, in quibus inscribitur TR. P. XVIII. et IMP. XIII., sed cum aliis omnino ignoti sint hi numi, vereor ne vir doctissimus in errore versetur. Certe titulus IMP. XII. una cum TR. P. XVIII. demum legitur [2]).

Hac re egregie confirmatur nostra chronologia. Nam, si Severo inde ab anno 199 usque ad a. 210 nullus novus attributus est titulus, nullam sine dubio post finem a. 198 victoriam de Parthis reportavit, id quod optime quadrat in rerum gestarum quam posuimus seriem, nam exeunte a. 198 Ctesiphonte capta non amplius hostes devicit, sed frustra tantummodo bis urbem Atrenorum oppugnavit.

Ursinii in villa Augustanae dioecesis inventis, quam Gruterus (l. c. p. CLVII. sub Nr. 2) et Orelli (l. c. p. 215 Nr. 937) exhibent, cujus haec verba sunt: IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM||IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN||AX. AVG. ARABICVS. ADIAB. || PARTHICVS. MAXIMVS. || PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. || VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P. || PROCOS. ET. IMP. CAESAR || MARCVS. AVREL. ANTON||INVS. PIVS. AVG. TRIB. || POT. IIII. PROCOS. ET. IMP. || P. SEPTIM. GETA. ANTON. || VIAS. ET. PONTES. REST||AB. AVG. M. P. XXXXI. Miro modo conjungit haec inscriptio TR. POT. VIIII. cum IMP. XII. Pro fabrili mendo habuit Velserus, cui legere placuit IMP. XI., sed idem numerus in pluribus prorsus similibus recurrit. Minus etiam TR. P. VIIII. per errorem positum esse potest, quum recte cum TR. P. III. Caracallae conveniat. Sed tales errores non semel inveniuntur. Fortasse, ut Orelli existimat, in provinciis adeo ab urbe remotis talia minus accurate notabantur vel etiam adulatione quadam praecipiebantur.

1) cf. Impp. Rom. Numism. ab Ad. Occone congesta ed. F. Mediobarbus. Mediol. 1730. p. 278. 279.

2) Vid. apud Gruterum tertiam inscriptionem p. CCLXV: IMP. CAESARI. SEPTIMIO. SEVERO || PIO. PERTINACI. AVG. ARABICO. || ADIAB. PARTHICO. MAX. BRIT. MAX. || PONT. MAX. TR. POT. XVIII. IMP. XII. || COS. III. PRO. COS. P. P. ET || IMP. etc. etc. || DEVOTI. NUMINI. ET. MAIESTATI. EOR. || COH. II. VIG. — Eodem modo prima pag. CCLXXI inscriptio ad januam templi in Umbria in basi statuae inventa TR. P. XVIII cum IMP. XII. conjungit. cf. Orelli l. c. p. 212 Nr. 920.

Neque, qui secundum urbis Atrenorum aggressum indicet nummus, deesse videtur. In Museo Caesareo Vindobonensi Eckhelio teste [1]) nummus servatur argenteus, cui inscriptum est: SEVERVS. AVG. PART. MAX. — PROFECT. AVGG. FEL. (Imperator equo citato, dextra hastam). Quo nummo Mediobarbus expeditionem a Severo in Britanniam susceptam indicari existimavit et nummum ob eam causam a. u. c. 961 (a. p. Chr. 208) adscripsit. Sed eo tempore titulus PART. MAX. non jam in nummis invenitur. Eckhelius propterea a. 199 adtribuit nummum, sed non video, quam profectionem Severi et Antonini intelligat. Nomen PARTHICVS MAXIMVS in nummis Severi non exstat nisi ab a. 198 exeunte usque ad initium a. 201, nam post hunc annum titulus ille evanescens titulo PIVS suscipitur; quam ob rem ne in profectionem quidem Augustorum in Palaestinam et Aegyptum a. 202 susceptam referri potest. Optime autem convenit nummus cum profectione Augustorum ad urbem Atra denuo oppugnandam; hasta enim, quam imperator manu dextra gerit, profectum eum esse ad bellum gerendum indicat. Ergo hic quoque nummus opinionem nostram, Severum inter duas urbis Atrenorum oppugnationes in Syria degisse confirmat

Sub ipsa consulatus initia Severus a Syria discessit et per Palaestinam, ubi pluria jura fundavit et legem de Christianis sanxit, in Aegyptum profectus est, unde Romam triumphans rediit. Haec constanter omnes tradunt, in contrarias autem sententias discedunt viri docti de anno, quo Severus rediit. Aut enim a. 202, ut Eckhelius voluit, aut a. 203, ut Tillemontio [2]) et Noesselto [3]) placuit, rediisse eum arbitrantur. Inter omnes constat, eodem anno, quo Severus e bello Parthico reversus sit, nuptias Antonini filii majoris Severi et Plautillae, Plautiani filiae, celebratas esse, eodemque tempore vota decennalia absoluta esse, vota vicennalia suscepta. Quae omnia ut a. 203 adscribat, Tillemontius ea re movetur, quod

1) cf. Doctr. Num. VII. p. 178.
2) vid. Note XXIV sur l'empereur Sevère.
3) vid. l. c. §. XVI. p. 64.

Severum, qui a. 202 demum, postquam consulatum iniit, a Syria discessit, in Aegyptum profectus, inde pedestri itinere Romam rediit, vix ante a. 203 in urbe adesse potuisse opinatur. Sed jam supra demonstravimus, Severum non terrestri sed maritimo itinere revertisse [1]). Accedit, quod maxima velocitate migrare solebat, ut Herodianus [2]) disertis verbis dicit. Quibus perspectis non video, cur eum auctumnali tempore anni 202 Romam venisse negemus. Eum enim annum omnes indicant nummi Severi, Caracallae, Plautillae, qui adventum Augg., nuptias, spectacula, vota decennalia et vicennalia celebrantes ad unum omnes habent TR. P. X. Severi, V. Caracallae. Cujus quidem argumenti vim effugere

---

1) Hoc loco adjiciam, quae supra neglexi, in haec profectione cum Tillemontio consentire etiam *Henry Fynes Clinton Esq.*, qui in libro »Fasti Romani« ad A. D. 202 Eckhelii sententiam rejicit. »This opinion is refuted by Herodian and Cod. Just. II, 32, 1. After the progress through Illyricum Severus might have approached Rome from the Adriatic by sea; which may be commemorated in the coins of Eckhel.« Herodiani fidem nullam hac in re esse demonstravimus. De lege autem ex Justinianeo Codice allata miror, quanto in errore versetur subtilis ille chronologiae Romanae perscrutator. Quam laudat L. 1. »*Si adversus transactiones*«, cui subscriptum est »AA. Antonio — *P. P.* XV. Kal. April. Sirmii AA. III. et I. coss.«, in ea confundit vir doctissimus subscriptionem »P. P.« cum »D. D.« Lex illa Sirmii non *data* est, sed *proposita*, neque igitur imperatorem Severum ipsum commoratum esse Sirmii subscriptio illa docet, sed potius *Honoratum* illum, cui edictum scripsit Augustus. Optime distinctio illa inter legem »propositam« et »datam« elucet ex illis legibus, quibus simul subscribitur »proposita« et »data« et omnino diversa indicantur loca. Ex Justinianeo quidem Codice nulla ejusmodi afferri possunt exempla, nam, qui collegerunt illius Codicis leges, unam semper solam notaverunt subscriptionem. Sed conferas, quaeso, Theodosianum Codicem a *Gustavo Haenel* editum (Bonnae 1842), ubi p. XL permulta afferuntur e Theodosiano Codice exempla legum, quibus inscribitur »*datae et propositae*« et omnino diversus indicatur locus; ex. gr. Theod. Cod. I, 9, 1; II, 6, 4; II, 7, 2; II, 16, 2; II, 17, 1; III, 5, 2 etc. etc.

2) cf. l. c. III. c. 8. §. 5. (ed. Irmisch. II. p. 621) »Ἀνύσας δὴ πολλῷ τὴν ὁδοιπορίαν τάχει, ὥσπερ ἦν ἔθος αὐτῷ.«

student eo, quod contendunt, annum TR. P. X. Severi numerandum esse a mense ineunte Junio vel, ut Pagio placuit, ab Id. Aprilibus a. 202 usque ad mensem Junium vel Aprilem a. 203, ita ut nummi laudati a. 203 potius indicent. Sed hac in re provocamus ad Eckhelii dissertationem de potestate tribunitia, in qua egregie demonstravit vir doctissimus, Severi potestatem tribunitiam Kal. Jan. iteratam esse.

Jam vero, de quibus disputavimus rebus gestis Severi, earum conspectum chronologicum exhibuimus.

A.u.c.	A.p.Chr.	
950	197	*Appio Claudio Laterano, Rufino coss.* Die XIX. Februarii Severus proelio prope Lugdunum Albinum superat. Romam reversus multos Albini sectatores capite damnat. Militibus donativum (Liberalitas Aug. II.), populo congiarium dat et spectacula edit. Ad bellum Parthis inferendum proficiscitur.
951	198	*Ti. Saturnino, C. Gallo coss.* Nisibi, quam obsidione Parthorum liberat, classe exstructa Seleuciam et Babylonem occupat. Antoninus Caracalla Augustus, Septimius Geta Caesar a militibus Ctesiphontem obsidentibus vocantur. Auctumnali tempore Ctesiphontem expugnat imperator.
952	199	*P. Cornelio Annulino II., M. Aufidio Frontone coss.* Ctesiphonte direpta discedit, exercitu adverso flumine Tigri Armeniam versus ducto, quum Vologaesus sponte sese subjiciat, Mesopotamiam transit et urbe Atrenorum frustra oppugnata in Syriam redit.
953	200	*Ti. Claudio Severo, C. Aufidio Victorino coss.* In Syria commeatus et machinas comparat, reliquias Pescennianas persequitur, Laetum occidit, Atram denuo aggreditur sed obsidione ad irritum cadente redit.

A.u.c.	A.p.Chr.	
954	201	*L. Annio Fabiano, M. Nonio Muciano coss.* In Syria degit Severus; sese cum filio majore consulem designat.
955	202	*Severo Augusto, M. Aurelio Antonino Aug. coss.* Consulatum cum Antonino init, a Syria discedit et per Palaestinam, ubi legem de Christianis sancit, Alexandriam proficiscitur. Inde auctumno in urbem reversus Caracallo Plautillam, Plautiani filiam, in matrimonium dat, vota decennalia absolvit, vota vicennalia suscipit, populo Romano splendida edit spectacula, militibus donativum omnibus prioribus majus (Liberalitas Augg. III.) largitur.

CAP. III. DE ANNO, QUO TERTULLIANUS CONSCRIPSERIT LIBRUM DE CORONA, ET DE VERA APOLOGETICI AETATE.

Jam vero postquam firmum disquisitioni nostrae substruxisse videmur fundamentum, ipsa Tertulliani scripta adire in animo habemus. Omnes fere viri docti ad annum, quo Tertullianus ad Montanismum delapsus sit, definiendum profecti sunt ab eo anno, quo librum „*de corona militis*“ conscripserit; nam hic liber accuratiora prae se fert aetatis indicia quam reliqui et sine dubio a Tertulliano jamjam Montani sectatore scriptus est. Quam ob rem et nos illius „de corona“ libri aetatem primum disquirere conamur.

Accuratissimum hic liber prae se fert aetatis indicium. Narrat scilicet Tertullianus in initio de milite quodam, qui, quum facta liberalitate praestantissimorum imperatorum coronam capiti imponere recusaret, capite damnatus est. Quae res a Christianis Carthaginiensi ecclesiae adscriptis in diversam partem dijudicata, aliis militem laudantibus, aliis vituperantibus, Tertulliano occasionem dedit libri illius scribendi. Quae Tertullianus refert, paullo antequam librum scriberet facta esse, ex ipsius auctoris verbis elucet, qui militem, quo tempore scribebat librum, in carcere „Christi donativum (martyrii intelliges coronam) exspectare“ dicit et non semel verbis „nunc“ et „proxime“ utitur. Quam ob rem, quo anno conscriptus sit liber de corona, ex tempore donativi illius recte constituto colligimus.

De donativi autem illius anno haudquaquam consentiunt viri docti.

Baronius in Annalibus donativum illud a. 201 (i. e. biennio detracto 199, coss. Annulino II. et Frontone) adscribit, quo anno post bellum Parthicum finitum, Caracalla Augusto, Geta Caesare renunciatis, ad conciliandum sibi populum praeter munificentissimas munerum editiones congiariumque magnum collatum populo, militibus etiam tribuere donativum Severo placuisse existimat. Cujus rei testem nummum affert (ex Pyrrho Ligor.), cui inscriptum est: SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. VII. — LIBERALITAS. V. (Imperator in suggestu distribuens donativum). Sed vereor ne omnino falsus sit ille nummus. Magnam suspicionem movet ipsum nomen PIVS, quod in Severi nummis ab anno demum 202 legitur. Deinde LIBERALITAS. V. minime cum TR. P. VII. conjungi potuit; nam, ut alia taceam, LIBERALITAS. III. cum TR. P. X. conjuncta legitur [1]). Quam ob rem aut nummus ille adulterinus omnino rejiciendus, aut, id quod verisimilius nobis videtur, pro TR. P. VII. legendum est TR. P. XII. Anno 199 nulla omnino facta est liberalitas. Praeterea, id quod hoc loco accuratius demonstrare non possum, librum „*de corona militis*" posteriore tempore editum esse, omnis ejus indoles certissime testatur.

Pagius in critica Baronii [2]) a. 201 scriptum esse librum de corona judicat, quippe quo anno quinquennalia Caracallae peracta donativi distribuendi occasionem praebuerint. Sed maxime errare videtur vir doctus, nam de quinquennalibus Caracallae illo anno celebratis nihil legitur nec liberalitatis illius anni mentionem faciunt nummi Caracallae et Severi.

Pamelius in vita Tertulliani [3]) multo posteriore tempore librum nostrum editum esse existimavit, a. 209 Coss. Antonino Aug. III., Sept. Geta II., i. e. secundum communem calculum a. 208. Liberalitatem in initio libri laudatam ad decennalia Caracallae illo anno celebrata revocat. Re vera

1) cf. Eckh. D. N. VII. p. 182.

2) ad a. 201 Baronii (199 Pagii).

3) cf. Opp. Tertull. ed. Rigaltius. Venet. 1744. Praef. p. XXVIII.

liberalitas Augg. hoc anno facta est et ea quidem sexta, quum Severus ad iter et bellum Britannicum sese compararet; sed, ut de aliis taceam rationibus, priore tempore librum de corona editum esse jam ea sola re satis probatur, quod Tertullianus, id quod ipse testatur, jam a. 208 primum adv. Marcionem librum, qui hodie exstat, composuit. Pamelium sequuntur *Allicius* 1) et *Cavius* in Hist. litt.

Prioribus disquisitionibus, quippe quae impedivissent magis veritatem quam expedivissent, non contentus *Noesseltus* 2) aetatem libri de corona denuo accuratissime perscrutatus est, in qua disquisitione nisus anno 201 adscripsit eum librum. Quae quidem disquisitio *Hesselbergio* ita placuit, ut non solum ei assentiret, sed etiam ea disquisitione Noesseltum operi suo coronam imposuisse diceret 3). Proficiscitur Noesseltus quoque ab anno liberalitatis constituendo. Sed antea concludit vir doctus, quum Severum et Caracallam utrumque Augustum fuisse Tertullianus verbis „liberalitas *Imperatorum*" doceat, et edictum Severi de Christianis nondum sancitum esse e verbis „tam bonam et longam pacem periclitari" (c. 1) eluceat, librum scriptum esse intra a. sextum Severi, quo Caracalla Augustus creatus est, et nonum, quo lex de Christianis sancita est. In quo temporis spatio tres enumerat imperatorum liberalitates: *primam* paullo ante quam Severus in Orientem profectus est a. 198, *alteram* a. 201, quo anno ille militibus suis propterea, quod Caracallam Augustum, Getam Caesarem dixerant, Ctesiphontem urbem spoliandam tradidit, *tertiam* denique a. 202, quo tempore Severus et Caracalla iter Aegyptiacum meditabantur. Quarum liberalitatum primam et tertiam rejicit Noesseltus, primam ob eam causam, quod eo tempore Caracallae dignitas Augusti nondum fuerit collata, tertiam, quod Spartianus, qui solus ejus rei mentionem injicit, „datum esse" ait „militibus

1) l. c. p. 49.
2) l. c. §. XIX. p. 70 sq.
3) l. c. p. 76.

cumulatius stipendium".[1]) quod, num possit donativi nomine significari, dubium est. Quam ob rem secundam liberalitatem, quae post occupatam Ctesiphontem facta traditur, a Tertulliano intelligi dijudicat vir doctus, quae quum a. 201 adscribenda sit, hoc anno librum de corona scriptum esse probatur.

Qua quidem in argumentatione ne una quidem vera inesse nobis videtur sententia. Recenseamus singula ad ea provocantes, quae supra de chronologia Severi disputavimus. De anno, quo Caracalla Augustus renunciatus est, tantopere fluctuat vir doctus, ut quid hac de re senserit, vix dici possit. Tres enumerat liberalitates; sed prima a. 198 fieri non potuit, quippe quo a. Severus in Oriente bellum gesserit, immo a. 197 facta est; in tertia autem de donativo militibus dato cogitandum non est, neque enim ullam illius anni nummi liberalitatem referunt, sed tantum de stipendio cumulatiore legionibus Syriae ab imperatore discedente dato; maxime denique erravit Noesseltus in altera liberalitate. Nec enim Ctesiphon a. 201 expugnata est (cf. supra p. 23), nec imperator *proprium donativum* dedit omnibus (negligendum enim non est de legionibus Africae quaestionem esse), sed tantum iis militibus, quos secum habuit, praedam urbis occupatae concessit, id quod iis *quasi donativum* erat. Omnia igitur, quae Noesseltus de libro nostro disputat, corruunt.

Jam vero ipsi aetatem libri de corona militis investigaturi, omnes primum Severi liberalitates enumeremus. Quarum *sex* nummis celebratae cognitae sunt. *Primae* occasionem dedit ipsum imperii initium a. 193. De *secunda*, quae propter victoriam de Albino reportatam a. 197 facta est, et de *tertia*, quae facta est post reditum imperatoris e bello Parthico a. 202 jam supra disputavimus. Liberalitatis *quartae*, *quintae* et *sextae* nec causa accurate cognita est, quum historiarum libri nihil de iis tradant, nec annus certus constitui potest, quum nummi nec annum TR. P. nec aliud cer-

1) Vita Severi c. 16 i. f.

tum aetatis indicium afferant. Eckhelius [1]) e lineamentis oris Caracallae, cujus imago in iis excusa invenitur, concludit lib. IV. a. 203, lib. V. a. 204, lib. VI. a. 208 adscribendam esse. Sed haec nihil ad nos, quum facile sit probatu, liberalitatem a Tertulliano commemoratam nullam aliam posse esse nisi *tertiam* a. 202. Atque ut primam a. 193 liberalitatem omnino omittamus, secundam a. 197 quominus eligamus, prohibent nos verba Tertulliani: „Proxime facta est liberalitas *praestantissimorum imperatorum*", quae Caracallam jam Augustum fuisse probant. Quominus vero quartam praeferamus, alia obstant Tertulliani verba. Dicit nimirum c. 1. de Christianis psychicis: „Mussitant tam longam et bonam pacem periclitari", quae verba quo tempore Tertullianus scripsit, persecutionem Christianorum nondum arsisse et flagrasse docent, id quod sine dubio jam in annum 203 cadit. Quibus perspectis sola nobis relinquitur liberalitas tertia a. 202, quam re vera eandem esse atque eam, quam Tertullianus proxime factam memorat, contendimus.

Quam autem paullo antea laudavimus sententiam Tertulliani de longa et bona pace, ea nostrae opinioni acerrime oppugnare videtur. Longa enim et bona pax illa intelligenda esse videtur, qua ecclesia christiana fruebatur lege Severi de Christianis nondum sancita, quam legem a. 201 in itinere Palaestinensi latam esse nemo nescit. Sed hoc ita tantum contra nos faceret, si lege illa actutum flagrans provocata esset Christianorum percecutio. Si contra persecutionem ab illo edicto profectam paullatim post aliquod demum temporis spatium erupisse apparebit, nostra opinio ea re potius stabilietur. Et re vera in errore versari nobis videntur, qui illo edicto Severi actutum vehementem christianorum persecutionem motam esse putant. Spartianus, qui solus legem illam commemorat (in vita Severi c. 17) his verbis de ea locutus est: „In itinere Palaestinis plurima jura fundavit. Judaeos fieri sub gravi poena vetuit. Idem etiam de Christianis san-

1) D. N. VII. p. 184, 186, 187.

xii. In primis respiciendum est, Severum lege illa prohibere voluisse, quominus religio christiana latius propagaretur, Christianos in posterum fieri vetans. Minime quidem cum Muentero sentire possumus, qui eo sensu legem accipit [1]), ut dicat, imperatorem prohibuisse, quominus in posterum Christiani fierent, *iis* autem, *qui jam essent*, *nullam poenam proposuisse*, ita ut illud edictum lenius esse antiquioribus et imperatorem iis, qui jam fuerint Christianae ecclesiae adscripti, eorumque posteris pepercisse existimet vir doctus. Si ita res sese haberet, omni sensu careret edictum, quod ut de Judaeis et Christianis sanciret, nova Judaeorum, qui cum Nigro stetisse videntur, seditione [2]), commotum esse imperatorem non sine causa conjicitur. Sed facere non possumus, quin hoc Muentero concedamus, lege illa conditionem Christianorum *legitimam* non in deterius esse mutatam, quum jam prioribus legibus, praecipue rescriptis Trajani ad Plinium, quae eo tempore in Africa valuisse Apologeticus Tertulliani docet, omnes christianae religionis confessores collegiorum illicitorum poenis essent subjecti. Sed conditio Christianorum si non *de jure*, at certe *de facto* in deterius commutata est edicto Severi. Quamdiu leges de collegiis illicitis de Christianis valebant, eorum conditio omnino pendebat a benevolis vel infestis animis praefectorum et procuratorum provinciarum, sicut ipse imperator Trajanus in notissimo illo rescripto ad Plinium „in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat", constitui non posse rescripsit. Praesides provinciarum nimirum imperatorum voluntati obtemperabant et, quamdiu Severus Christianis amicus favore complectebatur eos (cujus favoris testem Tertullianum habemus, ad Scap. c. 4), sine dubio et praesides provinciarum iis favebant, et status ecclesiae christianae in universum pacatus erat,

1) Prim. eccl. Afr. p. 192.

2) Spartianus in vita Severi c. 16 senatum Antonino triumphum Judaicum decrevisse refert, id quod *bellum* Judaicum, seditionem Judaeorum praecessisse probat. Cui assentitur Eusebius, qui in Chronico bellum Judaicum et Samariticum commemorat.

etsi singuli quidam Christiani rei acti sunt. Lege vero illa de Christianis sancita imperatorem sententiam suam mutasse patefactum est, quae res in causa fuit, ut praesides quoque provinciarum majorem in Christianos adhiberent severitatem. Ipsius imperatoris sententia mutata magis quam edictum ejus persecutionem provocavit, id quod ea re etiam probatur, quod teste Eusebio [1]) persecutio ardentissime Alexandriae grassata est, ubi Severus ipse commorabatur. Itaque persecutio non actutum post legem latam per universum orbem terrarum erupit, sed paullatim ingravescebat. Quae quum ita sint, sententia nostra, librum de corona non multo post legem de Christianis latam scriptum esse, optime convenit cum verbis Tertulliani, quae talem nobis describunt conditionem ecclesiae, qualem post edictum illud fuisse conjecimus. Persecutio nondum eruperat sed imminebat, et magis anxii edicto facti Christiani mussitabant, tam bonam et longam pacem sibi periclitari, ideoque omnem offensionem effugere opus esse rati, ne occasionem persequendi praesidi provinciae darent, militem illum vituperaverunt, qui tanto imminente periculo iram praesidis intempestiva ut putabant confessione incitarat.

Majoris momenti alia nobis videtur quaestio. Nimirum quaerendum est, nostrane de aetate libri de corona sententia quadret etiam in ceterorum Tertulliani scriptorum chronologiam; nam nisi hac re probata, firma esse non videtur, e contrario autem omnibus, quae attulimus, argumentis contemptis rejicienda. Quam ob rem accedamus ad librorum, quos ante librum de corona conscripsit Tertullianus, aetatem eruendam.

Sed nullus fere omnium librorum, quos nondum in Montanismum delapsus edidit Tertullianus, indicia aetatis praebet omnino certa. Accuratiora quam alii praebet liber, qui primum sine dubio inter omnes locum tenet, *Apologeticus*. Ab ejus igitur aetate definienda proficiscamur.

Tria illa Tertulliani apologetica scripta, *Apologeticum*

1) Hist. Eccl. VI. 1.

dico, *ad Nationes* libros II, carissimum illum *de testimonio animae* librum inter se arctissime cognata eodem fere tempore confecta esse, inter omnes constat; de ordine autem, quo libros illos conscripsit acerrimus ecclesiae defensor, maxime dissentiunt viri docti. Librum quidem de test. an. posteriore tempore scriptum esse quam Apologeticum, qui in eo citatur, certum est, sed ea res in quaestionem venit, utrum Apologeticus prior sit an libri II ad Nationes? De quibus libris, quum posteriore demum tempore Jacobi Godofredi Joti opere et studio inventi et editi sint, apud Pamelium nihil legitur. Allicius[1]) et qui eum sequitur Cavius[2]), utrumque opus prius editum sit vix dijudicari posse rati, eodem temporis articulo et Apologeticum et ad Nat. II. editos esse conjiciunt. Hoffmannus[3]) omnino nihil de quaestione affert. Noesseltus[4]) autem libros ad Nat. post Apol. lucem vidisse contendit, primum quoniam Tertullianus de eadem re in Apol. (c. 16) vocabulo „proxime" usus sit, quam ad Nat. I, c. 14 „nuper" evenisse dicit, vocabulum autem „proxime" brevius temporis spatium designare videatur, quam „nuper"; tum quoniam verisimilius sit Tertullianum primo praesides compellasse, quorum auctoritas major esset animusque tractabilior quam populi. Sed jam Muenterus[5]) a Noesselto, quem plurimis in rebus sequitur, discessit, ad Nat. II. nihil nisi collectanea esse existimans, e quibus brevi post secundis curis Apolog. composuerit Tertullianus. Idem fere sentit Neander[6]), sed contra eum nuper Noesselti sententiam denuo defendit Hesselbergius[7]). Priorem duarum illarum, quibus Noesseltus sententiam suam stabilivit, causam negligit Hessel-

1) cf. Diss. de Tert. vita et scriptis p. 79.

2) Hist. litt. (Oxonii 1740) I. p. 92.

3) Q. Sept. Flor. Tertulliani quae supersunt omnia in Montanismo scripta videri. Vitemb. 1738 §. X. p. XXXI.

4) l. c. §. XVII. p. 65.

5) Primord. Eccl. Afr. p. 134. cf. p. 213.

6) Antignosticus ed. II. p. 58.

7) l. c. p. 59 sq.

bergius et jure quidem, nam nullum poni potest discrimen inter „nuper" et „proxime," sed novam adjecit rationem vir doctus ex ex re sumtam, quod in libris ad Nat., qui non viris liberali doctrina politis sed universo populo pagano destinati erant, permulta desiderantur, ea nimirum, quae in forum populi et conscientiae universi seculi pagani conveniunt, in primis, quae pro veritate religionis Christianae de testimonio animae in Apologetico disputantur, id quod explicari non posse putat Hesselbergius, nisi praemisso Apologetico, ita ut Tertullianus ad ea, quae in priore Apologia dixisset provocare posset. Sed nec Noesselti nec Hesselbergii argumento aliquid probari mihi videtur. Errare mihi videntur, qui propterea Tertullianum primum ad praesides scripsisse putent, quoniam major spes erat eorum sententiam mutandi quam populi. Ut christianos fratres apologia sua a persecutione liberaret, nec primus nec principalis erat finis Tertulliani, qui benedictis martyribus gratulatur, quod de carcere mundi in custodiarium translati sunt (ad Mart. 2), qui christianos cohortatur: „Nolite in lectulis nec in abortibus et febribus mollibus optare exire, sed in martyriis, ut glorificetur, qui est passus pro vobis." E contrario id praecipue in animo habuisse videtur, ut populo veritatem proponeret ad judicium ipsius, ut apologia testimonio esset adversus universum seculum. Sed etiam, si concesserim Tertullianum imprimis christianis fratribus auxilium apologia sua ferre voluisse, non tamen dubitaverim contendere, eum primum populum adire debuisse, cujus furor prima causa fuit persecutionum, ita ut nihil prodesset sententia mutata praesidum, quamdiu populus Christianis infestus maneret. Minus etiam alterum Hesselbergii argumentum valet; nam si Tertullianus, quae jam dixisset in Apologetico, in libris ad Nat. tanquam cognita omisisset, totum fere primum ad Nat. librum non scripsisset, in quo omnia fere iisdem verbis reddit, quae in Apologetico insunt. Quin etiam si ita res sese haberet, ut Hesselbergius contendit, ipsas gravissimas res ut cognitas omisisset minoris momenti rebus repetitis. Quod

sententiae de testimonio animae in ll. ad Nat. desunt, tantum abest ut Apologeticum eo tempore jam conscriptum fuisse demonstret, ut certissimum sit argumentum contrarii. Nam tota librorum ad Nat., qui tantum numerum sententiarum Apologetici repetunt, indoles prodit, Tertullianum, quae in Apologetico dixit de conscientiae testimonio, non fuisse omissurum, si jam eodem loco dixisset.

Sed haec omnia in quaestione nostra non sunt magni momenti. Uternam liber prius editus sit, nisi e comparatis scriptis dijudicari non potest; et miror, quid sit, quod Hesselbergius, qui tam subtiliter et argute, quae Tertulliani ejusque scriptorum propria sunt, cognovit, tantopere neglexerit indolem librorum illorum. Nemo est enim, quin sciat Apologeticum ab omni parte perfectiorem esse libris ad Nat. Atque haec quidem perfectio cernitur et in materia rerum, et in oratione. Nam sententiae reconditiores neque eo minus dilucidiores sunt, ordo accuratius servatur, sermo brevior est et concisior — ut verbo dicam, totus liber ab initio ad finem usque prodit, Tertullianum, quum Apologeticum scriberet, melius intellexisse res, de quibus tractandum erat, ideoque eas luculentius explicasse. Post scriptum Apologeticum minus perfectos ad Nat. libros conscribere non potuit; re vera autem ipsi ad Nat. libri docent, quomodo ad tantam perfectionem pervenire potuerit, quantam in Apologetico admiramur. Quam ob rem hunc ordinem Tertullianus in libris apologeticis scribendis servasse nobis videtur: Primum conscripsit libros ad Nationes, deinde Apologeticum, postremo librum de testimonio animae.

Jam vero ordine illorum librorum perspecto aetas eorum disquirenda est. Omitto antiquiorum de aetate Apologetici opiniones Pamelii videlicet, qui a. 200, Baronii, qui a. 201, Cavii, qui a. 201, Allicii, qui a. 217 conscriptum eum putant, quorum errores et Moshemius et Noesseltus satis jam castigaverunt. Sed Moshemii et Noesselti sententiam dijudicemus necesse est. Idem est Apologetici locus, ex quo uterque aetatem libri definit, verba

scilicet c. 35: „Sed et qui *nunc* scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur *post vindemiam racematio superstes*, quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebant!“ In explicandis autem his verbis dissentiunt: Moshemius [1]) Tertullianum de judicio agere existimat, quod Severum post victoriam de Albino reportatam de iis, quos Albini rebus studuisse suspicabatur, Romae exercuit; Noesseltus [2]) contra ad persecutionem reliquiarum Pescennianarum in Syria postea, Spartiano teste, factam refert. Ut a Moshemii opinione dijudicanda initium faciamus, si re vera Tertulliani verba de crudelissimo illo judicio, quod Severus Romae de Albini sectatoribus exercuit, intelligenda essent, Apologeticus tamen non a. 198, ut Moshemio placuit, sed a. 197 adscribendus esset; nam eodem a. 197 crudelitati illi finem imposuit imperator versus finem anni, ut antea demonstravimus, ad bellum Parthicum profectus; Tertullianus autem scripsit *dum* sectatores scelestarum partium *quotidie revelabantur* et capite damnabantur. Sed sine dubio a Noesselti partibus standum est, qui Tertulliani verba accuratius in persecutionem reliquiarum Pescennianarum in Syria factam quadrare existimat. Nam, quod Severus Romae exercuit judicium de Albini sectatoribus, longa serie damnatorum apud Spartianum (vit. Severi c. 13) perspecta, „vindemiam“ vocare malim quam „racemationem superstitem.“ Accuratissime autem conveniunt verba Tertulliani cum iis, quae Spartianus in vita Severi c. 15. de suppliciis tradit, quibus Severus Nigri sectatores, qui supererant, punivit [3]). Attamen, licet

---

1) l. c. §. XXIV sq.

2) l. c. XVI, p. 58.

3) Conferas quaeso verba Tertull. supra laudata cum iis, quae Spartianus dicit: »Inter haec Pescennianas reliquias Plautiano auctore persequebatur.« Persecutionem »reliquiarum Pescennianarum« Tert. »racemationem superstitem« vocat. Sed et jam quae sequuntur: »Multos etiam quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consuluissent interemit« optime conveniunt cum iis quae Tert. in ipso illo c. 35

in explicanda sententia illa cum Noesselto sentiamus, viro illi docto omnino non possumus assentire in tempore persecutionis illius definiendo. Noesseltus, quum Severum per hiemem $^{198}/_{199}$ in Syria degisse putet, Apologeticum sub initium a. 199 scriptum esse contendit. Atqui supra demonstravimus, Severum potius per hiemem $^{199}/_{200}$ in Syria commoratum esse, quam ob rem non dubitamus Noesselti sententiam relinquere. *Nostra igitur sententia Apologeticus a. 200 demum ineunte editus est.* Inde etiam aetas ceterorum librorum apologeticorum patet. *Libri ad Nationes*, quos priores Apologetico esse demonstravimus, a. 199., liber *de test. an.* a. 200 scripti sunt.

Quae quum ita sint, satis magnum nobis restat temporis spatium inter libros apologeticos et librum de corona militis. Cui tempori hos adscribimus Tertulliani libros: „*De cultu feminarum librum secundum*," „*de patientia*," „*ll. II ad uxorem*," quos omnes paullo antequam Montani doctrinas acciperet Tertullianus, scriptos esse, indoles eorum prodit. Hunc igitur habebimus librorum ordinem chronologicum: a. 199: „libri II ad Nat."; 200: „Apolog." et „l. de test. an."; 201 „l. II. de cultu fem." 1) et „de patientia"; 202 ineunte vel versus finem anni prioris: „ad uxorem ll. II.", versus finem a. 202: „de corona militis."

Longum est etiam de libris, qui Apologeticum antecedunt, disserere, de quorum aetate definienda ad Hesselbergium provocamus, cui si non in omnibus rebus, attamen in plerisque assentimus.

Apolog. adjicit: »Eadem officia dependent et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant.«

1) Hesselbergio assentire non possumus, qui hunc librum secundam prioris de cultu fem. libri partem existimat. E contrario secundam et emendatiorem putamus editionem illius libri, qui imperfectior in publicum prodiit, quum opera apologetica intercederent, quibus absolutis Tertullianus prius opus suscepisse et perfecisse videtur.

CAP. IV. DE CHRONOLOGIA LIBRORUM POST LIBRUM DE CORONA SCRIPTORUM.

Jam vero finem imponere possemus disquisitioni nostrae, nec restaret quidquam, nisi ut ex aetate libri „*de corona*" definita tempus, quo Tertullianus ad Montanismum delapsus esset, definiretur, si id, quod hucusque pro certo sumsimus, librum de corona militis *primum* esse librorum in Montanismo scriptorum, re vera nullius viri docti dubitationes movisset. Sed quamquam omnes, qui prioribus temporibus aetatem librorum Tertulliani perscrutati sunt, Pamelium dico, Allicium, Cavium, Noesseltum, existimant, librum de corona priorem esse libro de virginibus velandis, proxime Hesselbergius ordinem mutavit, et librum de virginibus priore tempore conscriptum primum omnium esse librorum contendit, quos Tertullianus in Montanismo composuisset. Vix igitur opus ad finem perduxisse nobis videbimur, nisi definiverimus, quem locum teneat liber de corona militis in serie librorum Montanismo affectorum. Ordine librorum, qui sequuntur librum de corona, eodem modo definito, quo aetatem eorum, qui antecedunt, constituimus, res eo deducta erit, ut certum aliquid decerni posse videatur.

Imprimis hic quaeritur, liber de virginibus velandis utrum ante librum de corona scriptus sit an postea. Jam priusquam ipsa Hesselbergii argumenta aggrediamur, si libros illos inter se comparaverimus, hanc comparationem sententiae ejus non favere videbimus. In cap. 4. nempe libri de corona Tertullianus de ipsa illa quaestione, quae toto li-

bro de virginibus velandis tractatur, verba facit. Loquitur autem hac de re sine ira et studio, id quod luce clarius probat, quaestionem illam de velo virginum eo tempore in ecclesia Carthaginiensi acriter nondum disputatam esse. Si liber de virg. vel. jam antea scriptus esset et, quod inde sequeretur, virginum velum jam nota partium, ut ita dicam, Schibboleth partium, factum esset, certe Tertullianus quaestionem de velo non sine studio disputasset neque neglexisset controversiam de illa re ortam verbis perstringere. Si quis autem statuerit, controversiam, quo tempore Tertullianus librum ederet de corona, jam torpuisse, is recordetur, quaeso, omnes ita judicare, ut utrumque librum nullo modo longo temporis spatio distrahi posse censeant, et ipsam controversiam illam ejusmodi fuisse, quae, quum orta et tam acriter disputata esset, vix brevi tempore torperet. Quod argumentum Hesselbergius ita impugnat, ut dicat, satis explicari posse, quod Tertullianus quaestionem illam tam mite disputarit, ex indole ejus, quippe qui totum se ejus rei cognitioni dare solitus sit, quam cummaxime tractaret, omissis alienis quaestionibus. Sed neglexisse videtur Hesselbergius, quaestionem illam de virginibus velandis a Tertulliano de cor. 4. exempli gratia afferri, quo etiam non scriptam traditionem sola observatione defendi posse demonstret. Ex arbitrio elegit Tertullianus exemplum; quis est autem, qui neget, causam satis gravem fuisse, si res illa jam eo tempore tanta in controversia versata et partibus Schibboleth facta esset, cur minime eam eligeret.

Cui argumento alterum et gravius adjiciamus. In libro de corona nulla inest diserta Montanismi mentio excepta commemoratione illa prophetiarum sp. s. c. 1., et quamquam non negamus, totum librum Montanismum redolere, nusquam tamen Montani doctrinas aperte et dilucide exponit auctor. In libro contra de virg. vel. Montani doctrinae dilucide et multis verbis expositae leguntur, qua re probatur, Tertullianum, quo tempore hunc librum conscriberet, jam in ipso Montanismo progressum esse, ideoque librum de virg. ve-

landis posteriori tempori adscribendum esse, quam librum de corona.

Quae res aliis etiam singulis rebus demonstrari possit; sed mittamus haec, quae non sunt magni momenti in quaestione nostra. Omnino alio et firmiore in fundamento Hesselbergii sententia nititur, quae cum sententia ejus de Montanismi in ecclesia Carthaginiensi et Tertulliani in Montanismo progressu arctissime cohaeret, et quamquam, quae attulimus argumenta, alique modo adversantur eorum sententiae, qui librum de corona priorem esse putant, tamen nostram sententiam, librum „*de corona*“ praecessisse libro „*de virginibus velandis*“, aliter firmari non posse putamus, nisi Hesselbergii sententia de Tertulliani progressu et de ordine librorum ejus in Montanismo scriptorum refutetur et alia ei opponatur.

Omnia, quae Tertullianus Montanista composuit, scripta, exceptis libris polemico-dogmaticis et iis, quos sine dubio in fine vitae edidit „*de pallio*“ et „*ad Scapulam*“ et „*contra gnosticos Scorpiace*“, in duas classes dividit Hesselbergius. Priori tres adnumerat, libros „*de virg. vel.*,“ „*de fuga*,“ „*de corona*,“ posteriori quatuor libros „*de monogamia*,“ „*de exhortatione castitatis*“ „*de pudicitia*“ „*de jejuniis contra Psychicos*“[1]). Utramque autem classem libris polemico-dogmaticis distrahi putat ita, ut primum libros tres illos primae classi adscriptos, deinde libros polemicos maxima parte contra Gnosticos compositos, postremo quatuor adv. Psychicos libros lucem vidisse censeat. In hac de aetate librorum sententia nisus hoc fere modo Montanismum in ecclesia Carthaginiensi progressum esse contendit: Tertulliani et complurium aliorum sententia in favorem Montani mutata, in publicum procedendi Montanismo occasionem dedit quaestio illa de virginibus velandis. Hucusque Montani sectatores satis habue-

1) Librum »*de exhortatione castitatis*« priori classi, cujus indolem prae se fert, adscribere malimus, sed, quum nihil ad rem faciat, mittimus, ne longam protrahamus disputationem.

rant secundum morem suum tacite et sine vexatione vitam degere. Sed in dies magis vela virginum Montanistarum virginibus catholicis, quae nudis capitibus conciones ingrediebantur, odio erant. Velum nota erat factum, qua partes discernebantur. Virgines catholicae circumibant, „scandalizamur“ vociferabantur, „quia aliter aliae incedunt“ et petebant a viris, ut virginibus Montanistis vela detraherent easque nudis capitibus in ecclesiam traherent. Tum Montanistae et in primis Tertullianus patientiam exuunt. In publicum procedit libro de virg. vel. scripto, quo velandi consuetudinem non ut quamlibet aliam consuetudinem tolerandam, sed solam veram esse demonstrare conatus est. Sic dissensio erupit et paullo post idem libro „*de fuga*“ opinionem Montanistarum, in persecutione fugere Christiano non licere, et libro „*de corona*“ militem illum, qui coronam respuerat, recte egisse defendit. Nondum autem Montani sectatores ab ecclesia catholica sejuncti erant, necdum eo tempore res ad discidium pervenit, sed paulisper torpuit certamen et sedatum est. Montanistae in ecclesia catholica remanserunt, et illo tempore Montanista quidem sed nondum haereticus Tertullianus scripta polemico-dogmatica composuit. Sed postea pugna repetita est et tunc ad discidium depugnabatur. Montani sectatores haeretici ab ecclesia catholica sejuncti sunt. Cui tempori altera classis librorum adscribenda est.

Maximam quidem gratiam Hesselbergio habemus, qui primus controversiam illam de virginibus velandis inter catholicos et Montanistas maximi momenti fuisse cognovit. Non possumus facere, quin ei assentiamur contendenti, librum illum vel potius factum illud, quod Tertullianum movit, ut tolerantiam deponeret et catholicos impugnaret, ansam dedisse discidii. Quale autem erat discidium illud? Secundum Hesselbergium nondum secesserant Montani sectatores ex ecclesia catholica, primumque locum inter Tertulliani libros Montani sententiam defendentes tenet liber „*de virg. vel.*“, eoque scripto discidium etiamtum tacitum in publicum processit, partes aperte discesserunt. Attamen alio etiam modo et quidem rectius

illius libri vis describi potest. Liber ille non primus omnium in Montanismo scriptorum esse nobis videtur, sed potius aditum facere ad alteram classem. Re vera aliquid discriminis in eo inest, sed non ille solus discidii occasionem attulit, sed potius in causa erant res gestae, quas Tertullianus in hoc libro tradit, ut Montani sectatores omnino ab ecclesia catholica secederent.

Cui opinioni jam primo oculorum obtutu libri nostri ratio favere videtur; nam Montanistae certe non ausi essent concionibus catholicorum interesse, ubi virginibus tanta immineret contumelia. Postquam res eo deducta est, ut catholici virginibus Montanistis in concionem ingredientibus vela, quae tanti erant apud eas momenti, vi detrahere studerent, uni eidemque concioni interesse utramque partem non jam licebat. De facto jam ex ecclesia ejecti, coacti erant Montani sectatores sibi ipsi ecclesiolam constituere.

Atqui labefactaretur nostra opinio, si vera esset Hesselbergii sententia de aetate librorum Tertulliani, quos alteri classi adscribit. Nam si libri polemico-dogmatici lucem vidissent, antequam res in discrimen veniret et Montanistae sejuncti essent ab ecclesia catholica, liber „de virg. vel." non, ut nobis placet, paullo ante secessionem scriptus esse posset, sed, quum sine dubio ad priorem pertineret classem, quam supra laudavimus, et tempore discriminis scriptus esset, nihil restaret, nisi ut cum Hesselbergio contenderemus, librum de virg. vel. primum esse omnium, quos Tertullianus Montanista composuisset. In hac igitur quaestione cardo rei vertitur, utrum scripta antignostica Tertulliani antecedant sejunctionem Montanistarum ab ecclesia catholica ideoque libros alteri classi adscriptos, an potius Tertullianus jam ab ecclesia catholica sejunctus et haereticus factus libros dogmaticos composuerit.

Qua in quaestione haud sane nobis desunt argumenta, quae nostrae sententiae favent. Controversia et acerrima quidem, ut liber de virg. vel. docet, exorta erat in ecclesia Carthaginiensi, sed secundum Hesselbergium poste-

riore demum tempore res ad ultimum dimicationis venit. Atqui non videmus, nec Hesselbergius ipse explicat, quomodo factum sit, ut tanta controversia, quum jam in eo erant catholici, ut a verborum rixa ad vim faciendam procederent, subito pacaretur et postea demum revivisceret, ut proelium in summo discrimine subito praecideretur et post decennium demum rursus exciperetur. Aliam adjiciamus rationem. Ipsum Tertullianum versus finem vitae ad tantam progressum esse vehementiam, quantam libri secundae classis produnt, vix crediderim, quum major aetas mitiorem potius quam vehementiorem reddere soleat animum. Ad hoc pugna contra haereticos in primis gnosticos, qua *ecclesiam ipsam catholicam* defendit Tertullianus aptior erat, quae ejus in ecclesiam catholicam iram mitigaret potius, quam inflammaret [1]).

Jam vero accuratius videamus, quibus argumentis Hesselbergius sententiam suam defendat. Permulta affert, sed pleraque ipse haud magni facit. Quod vero firmissimum et re vera solum firmum existimet argumentum, unum tantum affert vir doctissimus, chronologiam nempe librorum dogmaticorum. Negat enim, ullum temporis spatium inveniri posse, quo Tertullianus scripserit libros secundae classis, si priore tempore editi essent, quam libri dogmatici, qua ex re colligit alium librorum ordinem constituendum esse, et libris dogmaticis locum inter priorem et posteriorem classem librorum Montanismo affectorum tribuendum. Sed non rectam viam iniisse nobis videtur vir doctus. Chronologia librorum polemico-dogmaticorum Tertulliani tam difficilis est ad constituendum, et, quum nulla fere prae se ferant indicia

---

1) Exspectes forsitan nos provocaturos esse ad Augustini (lib. de haeres. 86. Opp. ed. Bened. X, 28) verba et librum quem Praedestinatum vocant (c. 86. cf. Gallandi Bibl. X. 375), qui mitiorem redditum esse Tertulliani animum disertis verbis tradunt. Sed Augustini verba satis obscura sunt, et Praedestinatus admodum incertae auctoritatis est, ut testimonia eorum, praesertim quum Hieronymus hac de re taceat, haud magni facienda nobis videantur.

aetatis vel summa adhibita diligentia tam incerta manet, ut ea ratione, quid sit liquidum in nostra quaestione, vix definiri possit. Miror autem, quid sit, quod vir ille subtilis aliam omnino neglexerit quaestionem maximi, ut nobis quidem videtur, momenti, sintne in ipsis libris dogmaticis indicia quaedam, quibus Tertullianum, quo tempore eos componeret, in ecclesia catholica stetisse etiamtunc vel contra jam ab ea sejunctum fuisse probetur.

Ab hac quaestione in disquisitione nostra proficiscamur, et si hoc modo certum aliquid constitui potest, videamus conveniatne chronologia quoque librorum huic nostrae sententiae.

Proficiscamur ab usu quodam sermonis Tertulliani, qui Hesselbergii sententiae minus favet, a nomine dico, quo catholicos significat. Nomen, quo Tertullianus in libris secundae classis de monogamia, de pudicitia, de jejuniis semper fere utitur, est nomen „Psychici.“ *Nusquam* autem hoc nomen invenitur in libris prioris classis de corona, de fuga, nec in libro ipso de virg. vel. Hoc igitur nomen Tertullianum jam progressum esse ultra locum, quem tenuit, quum illos prioris classis libros componeret, aperte demonstrat. Jam vero nomen illud legitur etiam in libris dogmaticis (adv. Prax. 1.), qua re probatur, Tertullianum, quo tempore libros dogmaticos scriberet, alieniore jam ab ecclesia catholica fuisse animo. Qui nominis usus quum jam pro nostra faciat sententia, alia clariora etiam in medium afferamus argumenta. In libro adv. Praxeam c. 1. Tertullianus: „Et nos postea“ inquit „agnitio Paracleti *disjunxit a Psychicis,*“ quibus verbis nihil aliud significare videtur Tertullianus, nisi sejunctionem suam ab ecclesia catholica, quae Psychicos solos contineret. Nam si quis haec verba de interna, ut ita dicam, Tertulliani ab ecclesia catholica sejunctione, quae facta est doctrinis Montani ab eo acceptis, intelligere mallet, vix diceret, quid sibi vellent haec verba, quum nihil ad rem faceret, quod Tertullianus Montani partes secutus esset, sed maximi esset momenti externa ipsa ab ecclesia catholica secessio. Sed quum illa verba duplicem admittant interpretationem, quam-

quam illa de interna Tertulliani ab ecclesia, a doctrina nimirum ecclesiae, facta sejunctione interpretatio rejicienda nobis videtur, alium afferam locum, qui omnem dubitationem tollit. Tertullianus in libro „de anima" c. 9. de sorore quadam revelationes patiente his verbis narrat: „Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in ecclesia inter dominica solemnia per exstasin in spiritu patitur; conversatur cum angelis, aliquando etiam cum domino et videt et audit sacramenta et quorundam corda dignoscit et medicinam desiderantibus submittit. Jam vero prout scripturae leguntur aut psalmi canuntur aut allocutiones proferuntur aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quae viderit (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur), inter cetera inquit etc. etc." Quibus verbis probatur, quo tempore conscriberet Tertullianus librum de anima, Montanistas conciones sacras habuisse a catholicis separatas. Tertullianus enim non de re singulari loquitur, sed ut verba „quo usu *solet* nobis renuntiare quae viderit (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur)" luce clarius demonstrant, de more et lege, quam Montanistae in experiendis et probandis prophetiis sequi solebant. Imprimis verba uncis inclusa demonstrant, Montanistarum societatem ad normam certam ecclesiae et ordinem esse constitutam, quo in ordine propheliis certus adsignatus esset locus. Vix autem aliquis crediderit, catholicos talia in sua ecclesia admisisse, eadem ecclesiae catholicae membra, quae paullo antea consilium ceperant vela detrahendi virginibus Montanistis, postea virginem Montanistam prophetidem in ipsa ecclesia revelationes et visiones, quas sortita esset, patefacere passa esse. Non ignoramus quidem nuper *Ritschelium*, virum doctissimum, in libro suo: „die Entstehung der altkatholischen Kirche" ad ipsum illum locum provocasse, ut Montanistas nondum ab ecclesia catholica sejunctos esse probaret. „Zugleich", inquit

l. c. p. 570, „beweist aber diese Stelle, dass die Montanisten sich in der Gemeinde behauptet und an den gottesdienstlichen Versammlungen derselben sich betheiligt haben." Attamen haec Ritschelii sententia opinione nititur ab eo defensa, Montani sectatores eo tempore catholicos numero superantes ecclesiam Carthaginiensem rexisse. Concedit igitur Ritschelius, rem illam, cujus mentionem facit Tertullianus de anima 9, explicari non posse, nisi gesta sit in ecclesia, cujus regimine Montanistae potiti essent. Si igitur demonstrari poterit, in ecclesia Carthaginiensi vim maximam minime apud Montanistas fuisse, ecclesia, in qua soror illa revelationes suas passa est et patefecit, non ecclesia catholica sed sola ecclesia Montanistarum separata intelligenda erit, et ipsum Ritschelium nostrae sententiae testem habebimus. Longum quidem est hanc quaestionem fusius tractare. Provocare nobis liceat ad Acta Passionis SS. Perpetuae et Felicitatis, e quibus apparet, Optatum, qui in cathedra Carthaginiensi sedebat, inimicum fuisse Montanistarum, et ad decretum episcopi, quem Tertullianus satis acerbe deridens episcopum episcoporum vocat, qui non pro episcopo Romano sed potius pro episcopo Carthaginiensi habendus nobis videtur. Sed missa haec faciamus, ut res incertas: aliud certius afferamus argumentum. In iis libris, quos Tertullianus noster confecit, antequam ad Montani partes defecit, duae apparent in ecclesia Carthaginiensi partes, sibi invicem oppositae, mitior altera in moribus, altera severior. Luce autem clarius apparet, mitiorem illam et frequentiorem et potentiorem fuisse. Narrat enim Tertullianus (de idololatria c. 7) vel artifices idolorum proh scelus! in ordinem ecclesiasticum allectos esse, id quod fieri non potuit, nisi mitior illa pars magis valeret severiore, quae talia numquam concessura fuit. Ex severiore illa parte postea Montanistarum pars orta est, et si jam antea minus valuit quam pars mitior, verisimillimum est, eam in discriminis momento magis etiam deminutam esse; nam semper partes in discriminis momento deminui potius quam augeri videmus. Longum est reliqua hoc loco afferre

argumenta. Si autem conceditur, Montanistas tum in ecclesia Carthaginiensi neo frequentiores fuisse nec principatum obtinuisse, concedatur etiam necesse est, separatos eos fuisse ab ecclesia catholica.

Jam vero de chronologia agitur, quam Hesselbergius suae sententiae favere contendit. Difficillima quidem est disquisitio, ut jam supra diximus, quum nulla fere prae se ferant scripta dogmatica indicia aetatis, et longum est fusius hac de re disputare. Satis nobis esse videtur, si demonstraverimus, chronologiam librorum constitui posse, quae nostram sententiam non modo non labefactet, sed etiam stabiliat.

Unus liber adv. Marc. I. firmum exhibet temporis indicium. Itaque ad chronologiam eruendam nulla alia via patet, nisi ut ceteros libros cum illo et inter se comparemus. Primum chronologia relativa constituenda, deinde chronologia absoluta e comparatione cum L. I. adv. Marc. eruenda est. Ad chronologiam relativam definiendam praecipue ea loca animadvertamus necesse est, ubi Tertullianus ipse libros jam scriptos laudat aut de iis, quos scripturus erat, verba facit. Prae omnibus respiciendi sunt hi loci: *De carne Christi* cap. 2. laudat Tertullianus librum *de praescriptionibus; de resurr. carnis* c. 2. librum *de carne Chr.* eodemque loco librum *de anima; de anima* 21. librum *adv. Hermogenem; adv. Marc. V, 10* librum *de resurr. carnis; adv. Valentinianos* 15 librum *adv. Hermogenem.* Omnia quae illis locis laudantur scripta nostram tulerunt aetatem, sed laudantur etiam scripta quae non supersunt: de an. 20. liber „*de fato et libero arbitrio,*" ibid. c. 21. et adv. Marc. V, 12 liber „*de paradiso*; adv. Marc. IV, 22 librum laudare videtur „*de ecstasi,*" sed verba nimis obscura sunt.

De omnibus his citatis nulla est inter viros doctos dissensio. Adjiciendi vero alii loci sunt iique maximi momenti, in quibus interpretandis dissentiunt viri docti. Operis adv. Marcionem mentionem facit Tertullianus „*de anima* c. 21" et „*de carne Chr.* c. 7"; sed disquirendum est, quaenam illius opusculi editio intelligenda sit. Cujus operis Tertullianus tres enu-

merat editiones, quarum prima et tertia (altera enim nihil ad nos, quum nondum exemplariis suffecta [1]) fraude fratris omissa vix in publicum prodierit) ea re distinctae fuisse videntur, quod prima uno comprehensa erat volumine, et ab ea examinatio illa scripturarum, quibus Marcion utebatur, quae hodie in l. IV. et V. exstat, omnino defuit. Qua ex re elucet, Tertullianum verbis de carne c. 7: „Audiat igitur et Apelles, quid jam responsum sit a nobis Marcioni eo libello, quo evangelium ipsius provocavimus", quum et plures distinguat libellos et examinationem illam canonis Marcionitici laudet, opus tertium editum, quod hodie exstat, designare. Alter vero quem laudavimus e libro de anima locus [2]) utrum in opus primum an tertium editum spectet, certo definiri non potest, quum disputatio de libero arbitrio, quae hodie in l. II. inest, in opusculo primum edito non infuisse verisimile non sit.

Maxima autem versatur disceptatio in loco adv. Marc. I. c. 1, quo Tertullianus librum *de praescriptionibus haereticorum* his verbis attingit: „Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis." Quaeritur, utrum Tertullianus his verbis librum de praescriptionibus jam scriptum laudet, an de eo scribendo loquatur. De libro jam scripto verba nostra intelligit Pamelius in vita Tertulliani, cui Whistonius et Tillemontius assentiunt, qui tamen aliam etiam affert conjecturam, verba illa fortasse remansisse e libro primum aut alterum edito [3]). Nostris temporibus Neander et Hesselbergius eandem defenderunt sententiam. Sine ullo dubio concedendum est, verba illa de libro jam scripto *intelligi posse*, sed ab altera parte negari nequit, illum futuri usum non vulgarem esse, et interpretationem il-

---

1) cf. adv. Marc. I. c. 1.

2) »Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter jam et Marcioni ostendimus et Hermogeni.«

3) Mémoires pour servir à l'histoire ecclés. Tom. III. Note VI. sur Tertullien.

Iam difficiliorem etiam fieri verbis „haereticos revincendos", quum auctor, si praescriptionibus eos jam revicisset, „revictos" eos vocaturus fuisset. Itaque verba intelligi possunt secundum illorum interpretationem, si aliunde argumenta proferuntur, quae ita interpretari nos cogunt, aliis vero argumentis deficientibus, simplicior praeferenda nobis videtur explicatio verborum de libro postea scribendo. Argumenti loco ab omnibus verba proferuntur, quae parti genuinae libri de praescriptionibus finem imponunt c. 45: „Sed nunc quidem generaliter actum est nobis adversus haereses omnes certis et justis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione scripturarum. De reliquo, si dei gratia adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus." Sed haec verba minime demonstrant *omnia* Tertulliani scripta, quibus haereses singulas aggreditur, posteriore tempore compositas esse, sed tantum nonnulla, ut Hesselbergius quoque concedit. Itaque si ordo inveniri potest, secundum quem nonnulla scripta locum teneant post librum de praescriptionibus, non video, quid verba laudata contra nostram sententiam valeant. Omnino caveamus necesse est, ne Tertulliani consilium accuratius antea captum fingamus, ut Hesselbergius fecit, id quod neque cum natura rei neque cum Tertulliani indole convenire videtur. Aggreditur haereses ut ecclesiae conditio fert, partem antea relictam explet, et consilium, quod indicat in libro de resurr. carnis, sine dubio post libros scriptos, non antea, captum est.

Quo tempore Tertullianus prius et alterum ediderit adv. Marcionem opusculum, constitui non potest; sed nihil est, quod nos prohibeat, quominus priori tempori adscribamus. Atque eo inclinaverim, ut tempori persecutionis adscribam. Quo enim tempore persecutio Severiana flagrabat, Gnostici in ecclesia Africana undique eruperunt, sicut etiam postea evenit, quo tempore Tertullianus scripsit „Scorpiacen"; optime autem cum natura indoleque Tertulliani convenit, quod statim controversiam iniit et primo loco gravissimum omnium haereticorum Marcionem aggressus est. Secundam editionem

deinde posteriori adscribere nobis placet tempori, quum jam discidium inter Montanistas et ecclesiam catholicam ortum esset; nam cum hac sententia optime conciliatur, quod frater aliquis postea apostata quasdam illius operis partes multitudini exhibuit, eo consilio sine dubio, ut Tertulliano apud catholicos ei inimicos noceret. Sed haec missa faciamus ut meras conjecturas. Pergamus ad ea scripta, de quibus cum ad nostram pervenerint aetatem, certius quid definiri potest.

Omnium primum cum Hesselbergio librum existimamus adv. Praxeam idque et ex ea causa, quod regula fidei, quam Tertullianus in illo libro proponit, inter duas alias regulas, quas in Tertulliani scriptis invenimus, quarum altera in libro de virg. vel., altera in libro de praescriptionibus haereticorum legitur, medium tenet locum. Si re vera ponimus, Tertullianum in cognoscenda doctrina christiana progressum esse, et illi progressui respondere professionem fidei, sine dubio tres illae regulae fidei primo aspectu demonstrant, librum de virg. vel. ante librum adv. Praxeam, et librum de praescriptionibus post librum adv. Praxeam conscriptum esse. Sed majoris etiam momenti illarum regularum comparatio esse nobis videtur et novum pro nostra de chronologia librorum dogmaticorum sententia adferre argumentum. In serie librorum ab Hesselbergio proposita tres illi libri continuo fere sese excipiunt; nam qui inter librum „de virginibus velandis" et „adv. Praxeam" intercedunt libri „de corona" et „de fuga", dogmatum respectu habito minoris sunt momenti. De regula autem fidei in libro adv. Praxeam proposita nihil monemus, nam quaecunque ei adduntur, ex ipsa controversia cum Praxea satis explicari possunt, quum omnia ad trinitatem vel, ut Tertulliani verbis utar, ad oeconomiam spectent. Id unum adjiciam, sententiam Montanistarum disertis verbis proponi [1]), id quod verisimillimum facit, pugnam eorum cum ecclesia haud ita multo antea commissam esse, qua cum re

1) »Nos vero et semper et nunc magis ut instructiores per paracletum, deductorem scilicet omnis veritatis, credimus etc.«

convenit, quod Tertullianus hoc in libro saepius controversiam illam respicit, quam in ullo alio libro seriei polemico-dogmaticorum. Jam vero si liber de praescriptionibus, ut Hesselbergio placuit, continuo excepisset librum adv. Praxeam, non viderem, quomodo explicarentur sententiae regulae fidei additae. Secundum nostram sententiam intercedit primus adv. Marcionem liber, et re vera verba, quae addit articulo de Deo: „nec alium praeter mundi creatorem" et postea articulo de filio: „in nomine Dei varie visum patriarchis, in prophetis semper auditum", ipsae sunt sententiae, quas adv. Marcionem defendit. Praeterea autem quum adjiciat de deo conditore mundi „qui universa de nihilo produxerit", quae sententia adv. Hermogenem defendenda erat, verisimile nobis videtur, et hunc librum adv. Hermogenem intercedere inter librum „adv. Praxeam" et „de praescriptionibus", ita ut hunc constituamus librorum ordinem: Adv. Praxeam, adv. Hermogenem, adv. Marcionem I., de praescr. haereticorum".

Dum ipsum librum primum adv. Marcionem scribebat, ut verba supra laudata c. 1 demonstrant, necessitas ei sese obtulit haereticos sola praescriptione novitatis revincendi. Quam ob rem hunc librum primum addidit, deinde vero pugnam cum Hermogene recepit et libros composuit cum inter se, tum cum libro adv. Hermog. arctissime conjunctos, libros deperditos „de censu animae", „de paradiso", „de fato et libero arbitrio" et magnum illum, qui finem imposuit huic pugnae, „de anima". Quam ob rem eos hoc loco ponimus.

Facilius ordo ceterorum librorum, ll. II–V. adv. Marc., de carne Chr., de resurr. carnis definiri potest. In libro de carne Chr. respicitur l. IV. adv. Marcionem, qua re probatur ll. II–IV. antecessisse, liber de carne respicitur in libro de resurr. carnis, qui ipse laudatur in libro V. adv. Marcionem. Inde hic efficitur ordo scriptorum: adv. Marc. II–IV., de carne Chr., de resurr. carn., adv. Marc. V. Restat liber, qui exstat adv. Valentinianos et deperditus liber „adv. Apelleciacos", et quum liber de resurr., ut Tertullianus ipse decla-

rat, finem imponat operibus polemicis, verisimile est, illos libros non postea sed antea conscriptos esse.

Hic ergo secundum nostram sententiam ordo librorum constituendus est: Adv. Praxeam, adv. Hermogenem, adv. Marcionem l. I, de praescr. haeret., de censu animae, de paradiso, de anima, adv. Valentinianos, adv. Apellecianos, adv. Marc. l. II–IV, de carne Chr., de resurr. carn., adv. Marc. lib. V.

Chronologia relativa definita restat, ut chronologiam absolutam eruamus. Omnium librorum dogmaticorum unus, qui est primus adv. Marcionem liber, indicium affert aetatis, idque accuratissimum. In c. 15 dicit Tertullianus: „At nunc quale est, ut dominus anno XII. Tiberii Caesaris revelatus sit, substantia vero ad XV. Severi imperatoris nulla omnino comperta sit, quae etc.“ Scripsit ergo anno decimo quinto Severi. Incepit autem a. XV. Severi mense Julio a. 208, vel si forte illius aetatis usum numerandae potestatis tribunitiae secutus est, annus XV. spatium complectitur temporis inde a Kal. Jan. 207 usque ad Kal. Jan. 208. Est igitur terminus, post quem liber ille scriptus est, initium anni 207; terminus, ante quem scriptus est mensis Julius anni 208. Quae quum ita sint, libri continuo antecedentes „adv. Praxeam“ et „adv. Hermogenem“ a. 207 ineunte vel a. 206 editos esse verisimile est. Habemus igitur inter librum de corona, quem exeunte a. 202 conscriptum esse demonstravimus et primum librum polemicum spatium minimum trium, maximum quatuor annorum. Quo tempore si unum solum librum de fuga, eumque minimum, conscriptum esse putaremus, lacuna exsisteret, quae vix explicari posset. Nec sufficit cum Hesselbergio librum deperditum „de spe fidelium“ hoc tempore scriptum esse sine ulla causa conjicere; nam temporis spatium majus est, quam per quod Tertullianus, vir ingenio uberrimo, duos tantum componeret libros. Ipsa igitur chronologia nos cogit, ut posteriora scripta secundae classis, quibus doctrinas Montani adversus ecclesiam catholicam defendit, illi adscribamus tempori. Itaque unum illud argu-

mentum, quod Hesselbergius firmissimum suae sententiae subjicit fundamentum, nostrae potius favet sententiae.

Secunda vero scriptorum Montanismo affectorum classis si continuo excipit primam, nihil obstat, quin, id quod supra aliis ex rationibus verum esse probavimus, librum de virginibus velandis in ipso discriminis momento scriptum, pro ultimo primae classis libro habeamus. Stabilita est igitur nostra sententia de libro, qui inscribitur „de corona militis", ex qua primum eum scriptum esse a Tertulliano Montanista constituimus.

CONCLUSIO.

Restat, ut paucis verbis e disputatione praemissa concludamus, quo tempore Tertullianus ad Montanismum delapsus sit.

Duplici modo conditionem et statum Montanistarum in ecclesia Carthaginiensi disquisivimus, primum ex actis passionis SS. Perpetuae et Felicitatis, tum ex ipso Tertulliani nostri scriptis. Jam vero comparantes, quae huc et illuc eruimus, optime ea inter se convenire videmus. Utraque via eodem ducit. Quo tempore sanctae feminae martyrium consummarunt (et quamquam annum martyrii certo definiri non posse vidimus, tamen verisimile nobis visum est, ss. feminas a. 203 aut annis continuo subsequentibus passas esse), non deerant quidem in ecclesia Carthaginiensi, qui Montani partes sequerentur, sed doctrina eorum nondum plenius exculta erat, neque ipsi ab ecclesia catholica sejuncti erant, immo concordiam etiam tunc restituere studebant. Eadem ecclesiae Carthaginiensis conditio e Tertulliani illius temporis libris *„de corona militis,"* *„de fuga in persecutione,"* *„de exhortatione castitatis"* concludi potest. Doctrina Montani inest in iis, sed nondum Montanus ipse, neque prophetiae feminarum commemorantur, sicut etiam in actis Passionis SS. Perpetuae et Felicitatis invenimus. Ad hoc ex illis libris luce clarius elucet, Montani sectatores Carthagini nondum ab ecclesia catholica sejunctos fuisse; iisdem intersunt concionibus, neque inimicitiae a Montanistis sed ab ec-

clesiae catholicae adscriptis proficiscuntur, id quod etiam ex ea re concludi potest, quod Montani in ecclesia Carthaginiensi sectatores numquam catholicos pro haereticis habuerunt, ne eo quidem tempore, quo jam ab ecclesia catholica haeretici declarati sejuncti erant [1]). Ambae igitur disquisitiones eundem habent exitum et sese invicem comprobant.

Jam vero ex serie quam constituimus librorum Tertulliani facile annus concluditur, quo Montani partes suscepit. Primum librum, quem Montanista composuit Tertullianus, librum „*de corona militis,*" auctumnali tempore a. 202 compositum esse demonstravimus. A. 199 edidit libros duos „*ad nationes,*" a. 200 „*Apologeticum*" et „*de testimonio animae,*" in quibus omnibus catholicum sese exhibet. A. 201 scripsit librum secundum „*de cultu feminarum*, „*de patientia*", „*ad uxorem ll. II,*" jamjam Montanizans vel in ipso Montanismi limine. *Itaque in Montanismum delapsus est a. 202, fortasse ineunte anno.* Eum enim aliquamdiu antequam librum „*de corona*" conscripsit delapsum esse, ea re demonstratur, quod librum „*de fuga*" in ipso „*de corona*" libro promittit. Occasionem autem Montanistarum de fuga in persecutione sententiae defendendae dedit colloquium apud Fabium fratrem christianum habitum. Hoc igitur libro „*de corona*" praecessisse clarum est. In priore a. 202 parte Montani doctrina accepta, secundum rei naturam Tertullianus, quae de nova prophetia et de rigidiore disciplina sibi persuaserat, primum in congressionibus familiarium defendere et amicos in partes suas deducere coepit, cujus rei exemplum illa de fuga disputatio in domo Fabii fratris christiani habita praebet. Tum versus finem anni 202 evenit, ut miles ille, qui coronam sibi imponi noluerat, supplicio afficeretur, eaque res multum disputata in ecclesia Carthaginiensi

---

1) Conferas, quaeso, verba Tertulliani in initio libri »de monogamia«: »Haeretici nuptias auferunt, psychici ingerunt,« quibus verbis aperte distinguit haereticos et catholicos, quos non pro haereticis sed pro psychicis habuit.

occasionem dedit Septimio nostro primum *publice* sententiam suam confitendi et defendendi. Sic publica facta est dissensio. Acerrime deinde disputabantur quaestiones illae in ecclesia Carthaginiensi, cujus rei testes habemus libros „*de fuga in persecutione*" et „*de exhortatione castitatis*"; in diem rigidior et elatior animus Montanistarum, in diem acerbius odium catholicorum fiebat. Praecipuo studio litigabatur de virginum velo, ita ut velum signum partium existeret. Odio inflammati catholici consilium ceperunt virginibus Montanistis vela, invisum illud quod credebant sanctitatis signum, detrahendi. Quo comperto ab altera parte et Tertullianus iram non amplius cohibuit, sed libro „*de virginibus velandis*" et consuetudinem Montanistarum defendit et catholicae ecclesiae disciplinam aggressus est. Jam discessus partium evitari non amplius potuit. Illo consilio eripiendi veli de facto ex ecclesia jam ejecti, paullo post, quamvis fortiter Tertullianus Montani doctrinam in trilogia illa librorum „de monogamia", „de jejuniis", „de pudicitia", omissa jam omni indulgentia lenitateque defenderet, haeretici declarati ab ecclesia catholica sejuncti separatam sibi ecclesiolam condere coacti sunt.

Neque vero difficile est, hujus quoque rei chronologiam ex iis, quae de tempore librorum disputavimus, constituere. Nam quum liber primus adv. Marcionem a. 207 aut 208 scriptus sit, adv. Praxeam et adv. Hermogenem a. 206 aut 207, tres illi libri, quibus Montani doctrinam defendit Tertullianus, „*de monogamia*", „*de jejuniis*", „*de pudicitia*", qui continuo se exceperunt sine dubio a. 205 aut ineunte anno 206 editi sunt. Liber igitur „*de virginibus velandis*" a. 204 aut ineunte 205 scriptus est.

In fine dissertationis nostrae, quo facilius, quae de chronologia librorum Tertulliani constituimus, perlustrari possent, conspectum seriei librorum ex nostra sententia adjecimus, idque ita, ut series ab Noesselto et Hesselbergio constitutae juxta ponerentur.

A.p.Chr.	*Neeseltus.*	*Hesselbergius.*	*Nostra sententia.*
199	Apologeticus. Ad nationes ll. II. De testimonio animae. De baptismo. Ad uxorem ll. II. *Tertullianus ad Montanismum delabitur.*	Apologeticus. Ad nationes ll. II. De testimonio animae. ⋮	Ad nationes ll. II.
200	(aut 201) De corona. De virginibus velandis.	De patientia. Ad uxorem ll. II. *Tertullianus ad Montanismum delabitur.*	Apologeticus. De testimonio animae.
201	De cultu feminarum ll. II.	De virginibus velandis. De corona militis.	De cultu femin. l. II. De patientia. Ad uxorem ll. II.
202 et 203	De fuga in persecutione. De exbortatione castit. De monogamia. De jejuniis. De pudicitia. Adv. Praxeam. Adv. Hermogenem. De anima.	De fuga in persecutione. (De spe fidelium.)	*Tertullianus ad Montanismum delabitur.* De corona militis. De fuga in persecutione. De exhortatione castitatis.
204	Scorpiace. Adv. Valentinianos.	Adv. Praxeam.	De virginibus velandis.
205	(207—8) Adv. Marcionem l. I. De praescriptionibus haer. (207—8) Adv. Marc. l. II–IV. De carne Christi. De resurrectione carnis. Adv. Marc. l. V.	De praescr. haer. (adv. Marc. ed. I.) Adv. Hermogenem. De censu animae. De paradiso. De anima.	De monogamia. De jejuniis. De pudicitia.
206 et 207 sq.		Adv. Valentinianos. Adv. Marcionem l. I. (ed. III.) (Adv. Apellecianos.) Adv. Marc. l. II-IV. De carne Christi. De resurr. carnis. Adv. Marc. l. V.	Adv. Praxeam. Adv. Hermogenem. Adv. Marc. l. I. De praescr. haeret. (De censu animae.) (De paradiso.) De anima. Adv. Valentinianos. (Adv. Apellecianos.) Adv. Marc. l. II-IV.

A.p.Chr.	*Noesseltus.*	*Hesselbergius.*	*Nostra sententia.*
			De carne Christi. De resurr. carnis. Adv. Marc. l. V.
212		De monogamia. De jejuniis. De pudicitia.	